# OPUSCULA

Ad revocandos ad S. Matrem Catholicam Apostolicam Ecclesiam dissidentes Græcos, et Ruthenos: Nec non et Protestantes, prætensos Reformatos, aliosque Sectarios postremæ ætatis: In tres Tomos distributa

## OPERA, ET STUDIO

INDIGNI PRESBYTERI


SEPTIMII COSTANZI ROMANI

S. T. D., ET ACADEMIÆ ROMANÆ RELIGIONIS CATHOLICÆ CENSORIS


*TOMVS PRIMVS*

Assertio Dogmatis Substantialis Processionis Spiritus Sancti a Patre, et Filio

„ Unus Dominus, una fides, unum Baptisma (Ephes. 4. 5.)
„ Ego autem rogavi pro te (Petre), ut non deficiat fides
„ tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos „.
(Luc. 22. 32.)




ROMÆ MDCCCVII.

Typis Lazzarini Rev. Cam. Apost. Typographi
*Superiorum Facultate*

„ Si quid incondite, aut inculte dictum legeris; vel si
„ totum ita esse perspexeris, doctrinæ da operam, linguæ
„ veniam: S. August. Epist. ad Consent. 205. alias 146. Edit.
„ Maurinor.

„ Non . . . victoriam ambimus, sed ut Fratres, quo-
„ rum separatione distorquemur, ad nos redeant labora-
„ mus. S. Gregorius Nazianz. Orat. 44. in Pentecosten „.

## MONITUM

Volumus, quod si una, aut altera versio seu Editio horum Opusculorum in quocumqne idiomate fieri contingat, & controversia aliqua subinde emerserit quoad verba, vel sensus Operum, & Auctoris, ad præsentem Romanam Editionem anni 1807. Typis Lazzarini pro quæstionibus finiendis recursus habeatur, quam Prototypi loco esse volumus; exceptis iis erratis, quæ communiter etiam apud diligentes Typographos occurrere solent, quæque appareat errata esse typographiæ.

Sanctissimæ, et Individuæ Trinitati

# PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI

A C

Beatissimæ Deiparæ

SEMPER VIRGINI MARIÆ

Ad Thronum Divinæ, incomprehensibilisque Majestatis Tuæ, Sacrosancta Trinitas, qui es Deus meus, & Dominus meus, ac lucem inhabitas inaccessibilem, provolutus venio; ut offeram, quodcumque illud sit, parvum certe,

sacrificium laborum meorum. Tuum est, novi, & confiteor coram Cælo & Terra, id totum quod scripsi, quoniam Tu Sapientiæ dux es, & Sapientium emendator: Sed & tua maxime sunt hæc mea, quum sciam infirmitates meas multas, & insipientias meas; qua de re in manu tua singulariter sum ego, & sermones mei, & omnis Sapientia, & operum scientia, & disciplina. Quidquid igitur recte a me dictum, quidquid juxta scientiam veram, quidquid Sapientiæ tuæ conforme, veraciterque prolatum scripta mea continent, Tu omnium artifex Sapientia Divina docuisti me. Neque ab infinita omnipotentia, & bonitate tua alienum hoc est, imo tuæ Summæ Majestati est proprium, qui ea
„ quæ stulta sunt mundi eligis, ut confundas
„ Sapientes: & infirma mundi eligis, ut con-
„ fundas fortia: & ignobilia mundi, & contem-
„ ptibilia eligis, & ea, quæ non sunt, ut ea,
„ quæ sunt destruas, ut non glorietur omnis ca-
„ ro in conspectu tuo „ (1. Cor. 1. 27. seqq.)
„ & omne os obstruatur, & subditus fiat omnis
„ Mundus Tibi „ (Rom. 3. 19.) „ O altitudo
„ divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ tuæ, quam
„ incomprehensibilia sunt judicia tua, & inve-
„ stigabiles viæ tuæ . . . . quoniam ex Te, &
„ per Te, & in Te sunt omnia! „ (Rom. 11.
33. seqq.). Tibi itaque laus, Tibi gloria debetur, Tibi gratiarum actio; Tibi Regi Sæculorum

immortali, & invisibili, qui es quod es Trinitas æqualis, una Deitas, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, soli Deo, honor, & gloria in sæcula sæculorum. Accipe quascumque exiles, quascumque, licet meritis tuis, votis etiam meis, impares gratiarum actiones; laudent Te per universa æternitatis sæcula Cœli, & Terra, Mare, & omnia, quæ in eis sunt; omnis Spiritus laudet Te. Et Tu, Domine, Pater misericordiarum, cogita de nobis; da voci meæ vocem virtutis, & iis, quæ gratiæ tuæ adjutorio plantavi, & rigavi; infunde rorem benedictionis tuæ, & da incrementum, ut afferant fructum centuplum, utque omnes gentes, tribus, & linguæ cognoscant Te, confiteantur Tibi, & verba auditus tui, quæ per doctrinam Spiritus Sancti, & Ecclesiæ Catholicæ magisterium docuisti homines, accipiant, non ut verba hominum, sed sicut vere sunt, verba tua; diligantque Te ex toto corde, ex totis viribus suis, ex quo gloria laudis resonet in ore omnium Patri, genitæque Proli, Spiritui Sancto, cum fuerit unum Ovile, & unus Pastor. Dumque indignitas mea annuntiaverit iis, qui, errorum caligine obvoluti, infelicissime vivunt, veritates tuas, ac sacra dogmata, quæ ab Ecclesia tua accepit, audierintque ipsi, gratiæ tuæ operante virtute, eosque excitante, & adjuvante, sermones meos; & in sinum ejusdem Spon-

sæ tuæ recepti fuerint, eique firmiter adhæserint sincero corde, & animo volenti, glorificent jugiter Nomen tuum, a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum est, qui dedisti salutem eis per manum infirmi, & indigni servi tui. Respice etiam, Domine, Pater pauperum, per viscera pietatis tuæ, respice humilitatem meam, laboresque meos, & ob merita J. C. suscipe sacrificium laudis, ac vota, quæ offero Tibi in odorem suavitatis, & salva me opus manuum tuarum. Loquere & pro nobis, Beatissima semper Virgo Mater Dei Unigeniti Filii Patris, loquere pro nobis bona summo Uno, trinoque Domino, & profer merita tua, quæ Sedes Sapientiæ jure nuncuparis, in supplementum imperfectionis meæ: gratias Ei age pro me; & impetra, ut scripta mea, ac mea omnia de supremo Solio gloriæ suæ dignetur jugiter benedicere. Amen.

Humillima Creatura tua Deus

*Septimius Costanzi Sacerdos indignus*

# J. ✻ M.

Quod Apostolus imitator Christi cooperatoribus suis commendavit „. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo „ delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in „ spiritu lenitatis „, id est, quod ipsius imitator Septimius Costanzi Sacerdotio dignus ex Bernardo (lib.4. de Consid. cap.4.), quia Sacerdotio se nominat indignus, Auctor Libelli, quem a Rmo P. Sac. Palatii Apostolici Magistro acceptum devoravi, opere complet. In eo enim, perpetuo sermone loquente Deo ipso vel in Filio, vel in his, quos a sæculo posuit pascere oves suas doctrina, & aqua sapientiæ potare, sic veritas Processionis Spiritus Sancti a Patre, Filioque docetur, ut credibilis nimis efficiatur; ita tamen ut digiti Scribentis non myrram stillare videantur, sed verba dulciora super mel, & favum, quibus in vinculis charitatis eorum, qui foris sunt, corda trahantur, dum mentes illorum, qui sedent in tenebris illuminantur. Dignissimum proinde Opus hoc censeo, quod aliis, quæ vir sermone potens, & qui zelo secundum scientiam zelare novit pro Domino exercituum, ejusque Sponsa, edidit, superadditum, ad Dei gloriam, Fratrumque nostrorum Orientalium salutem, Typis mandatum multiplicetur, ac per universum Orbem, tamquam fæcunda benedictionum nubes, pervulgetur. Romæ apud Montem Serratum in Conventu SS. Theresiæ, & Joannis a Cruce die 27. Junii 1807.

Fr. Theodorus a S. Maria Carmelitarum Excalceatorum Procurator Generalis, Congregationis Indulgentiarum Consultor, & Promovendorum ad Episcopatum Examinator.

*IMPRIMATUR*

Si videbitur Rmo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro

*B. Fenaja Patriarcha Constantinop. Vicesg.*

---

*IMPRIMATUR*

Fr. Joannes Baptista Chiesa Ord. Præd. S. P. A. Magist. Socius.

# SCHEMA
## TOTIUS OPERIS

## CAPUT III.



## CAPUT IV.

## CAPUT V.

## CAPUT VI.

## CAPUT VII.



## CAPUT VIII.



## CAPUT IX.

## CAPUT X.

# EXHORTATIO AD GRÆCOS

Creavit nos Deus ad imaginem, & similitudinem suam; ut credentes ei, sperantes in eum, eumque diligentes, hoc est Sancti effecti, sicut ipse Sanctus est, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. Hinc est, quod, ut in æternum possideamus Sanctuarium Dei, necesse est theologicas supernaturales virtutes, Fidem, Spem, & Charitatem in Deum, & Proximum habere. Fides enim, Spes, Charitas virtutes sunt, quas, nisi acquirere, & integre custodire cum Jesu Christi gratia studeamus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. „ Nunc autem ( dicit *Apostolus* 1. „ *ad Corinth. Cap.* 13. *v.* 13. ) manent fides, spes, charitas; „ tria hæc, major autem horum est charitas „. Certe sine fide impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire; Spe salvi facti sumus; charitas erga Deum excellentior via est; erga proximum autem veluti tessera ac signum, quo a gentibus distinguimur. & cognoscitur, quod Jesu Christi disciputi sumus: „ In hoc cognoscent ( Magister noster ait Christus diligens nos, & ut invicem diligamus jubens, *Joan.* 13. *v.* 35. ) *omnes, quia discipuli* „ *mei* estis, si dilectionem habueritis ad invicem „. Dum fidem nominamus, eam, quæ una est, intelligimus, nempe quæ ubique, semper, ab omnibus sub Catholicæ Ecclesiæ magisterio retenta fuit; quæ sana doctrina est, & forma sanorum verborum, a qua si discesserimus, aberramus; & fallentes nosmetipsos in varios errores incidimus; & insuper nos doloribus, ac malis multis inserimus, quemadmodum omni aevo hæreticis accidit. Nam, ut alia multa prætereamus ( ne injuriam alicui videamur inferre ) adversus eos, qui sanam doctrinam tuentur, illi insurrexerunt; ingeminarunt convicia; odium, aemulationemque amarissimam fovere nunquam destiterunt, ac omnem quærere occasionem, etiamsi nulla sit, ut eosdem ipsos scriptis, ac verbis impeterent. Si igitur aliquos videamus stantes contra eos, qui fratres suos ad rectum vitæ tramitem vocant, cupiuntque ad unitatem Catholicam trahere, sane ex hoc

ipso statuere possumus, eos non esse Christi discipulos, nec diligere veritatem, sed errorem velle, & in errore usque ad finem, nisi convertantur, perseverare. Iis, qui ejusmodi sunt (quoniam si possemus, adjuvante D. N. Jesu Christo, omnes salvare vellemus), dum fidei doctrinam *de Processione Spiritus Sancti a Patre & Filio* proponimus; ac statuimus, hanc docere Ecclesiam, ac in Sacris Scripturis, divinisque traditionibus contineri, respondentes etiam ad ea quæ objiciuntur; iis, qui ejusmodi sunt, stantibus adversus nos, dicimus sincero animi affectu, eosque in visceribus Christi oramus, obtestamurque, ut Matrem, quæ falli, aut fallere nequit, Catholicam audiant Ecclesiam, pacemque nobiscum habeant, verba illa usurpantes *Auctoris Sermonum III. ad fratres in Eremo, Sermone II. in Append. Oper. S. Augustini*: „ Cupis tamen illud unum invenire, „ quod sit bonum, & jucundum? Perquire pacem, & amplectere eam. Hæc est enim sola virtus, quæ bonum habet, & jucundum. Hæc est illa bonitas, quæ nos habitare facit unius moris in domo, ut simul vivere, simulque mori semper optemus. O pax, tu mentis serenitas, „ tu tranquillitas animi, cordis simplicitas, amoris vinculum, charitatis consortium. Hæc est illa summa felicitas, „ quæ simultates tollit, bella compescit, iras comprimit, „ superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis placet, a cunctis optatur; sed a „ cunctis malis illa, quæ bona est, pax fugitur, & oditur, „ ut mors. O pax, tu nescis extolli, ignoras inflari: maledictus, qui te odit, & qui te impedit, & frangit inter „ homines, quoniam Antichristus est, & filius perditionis. „ O pax, qui te habet, teneat te; qui te non habet, te „ perquirat; qui te perdidit, te requirat, si Filius Dei esse peroptat „.

Nunc vos alloquimur, Græci, quos diligimus in veritate, pro quorum omnium, singulorumque salute sanguinem, ac vitam profundere, Deo auxiliante (credite) parati sumus: Quare toties, cognita veritate, cum Romana Ecclesia, hoc est Catholica, fœdus inistis, & ab ea totidem vicibus recessistis? Quare Romanum Pontificem, quem omnis retro antiquitas, ac fides inconcussa clamat S. Petri Successorem,

Christique Vicarium, pluries adiistis, & in ejus sinum clementissime excepti, eum Doctorem omnium Christianorum a Deo constitutum existere confessi estis, ac totidem vicibus ab eo alienati, calce illum a vobis abjecistis? Quare Latinos, qui semper vos in Domino dilexerunt, subsidiaque etiam ab initio (ut patet *ex Epistola Sancti Dyonisii Alexandrini Episcopi apud Eusebium Hist. Eccl. lib.4. Cap. 23.*) ad solamen contulerunt pauperum vestrorum, indesinenter conviciis, & odio estis prosequuti? Universi sciunt, quod Orientalis Ecclesiæ ritus, dummodo Catholici sint, Latina Ecclesia non damnat; sed e contra *in Florentina Oecumenica Synodo* decretum in hæc verba latum fuit; „ Item in azy- „ mo, sive fermentato pane tritico ipsum Domini Corpus „ conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Eccle- „ siæ Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem „. (*in Litt. Union. Græcor. Eugenii IV. incip. „ Lætentur Coeli „ 4. Julii* 1439.) Non enim aliud, quam errores, Ecclesia damnat: errantes autem dociles amantissime revocat, ut recte credant, & convertantur. Novit etiam universus Orbis, Romanos Pontifices in ipsa sua Urbe Roma Græcis, Armenis, Maronitis, & Cophtis suas concessisse Ecclesias, in quibus unaquæque Natio possit probatas Ecclesiarum suarum Sacras cæremonias exercere; atque insuper Græci, & Armeni ritum Episcopos ordinare, qui coram seipsis in Capella Pontificia adstent, dum Divina celebrantur officia, in pignus Catholicæ communionis, quique denique in respectivis Ecclesiis juxta probatos ritus suos Pontificalia peragant, Ordines conferant, ac Sacramenta administrent. Ita fit, ut Romæ in Græca S. Athanasii Archiepiscopus Græcus ritu Græco; in S. Mariæ Ægyptiacæ Archiepiscopus Armenus Armeno ritu; in Maronitarum, & in alia S. Antonii Abbatis Monachorum Montis Libani, Presbyteri, ac Monachi ritu Siriaco; ac denique in SS. Sergii & Bacchi Monachorum Ruthenorum S. Basilii Ecclesiis Monachi ipsi Græco-Rutheno ritu Divina agant. Quid hæc, nisi totidem argumenta sunt, quod Catholici ritus omnes a Latinis probantur? Nec vos latet, o Græci, Summos eosdem Romanos Pontifices plura instituisse, ac proprio ære fundasse, reditibus etiam attributis, Collegia ad Græcæ, Maronitarum, aliarumque plu-

rium Orientalium Nationum ( curante Sac. Propagandæ Fidei Congregatione ) pueros educandos, qui juxta proprios uniuscujusque Nationis ritus religiose, ac sollicite instituuntur. Ex quibus manifeste apparet, longissime a veritate abesse, quod Romani Pontifices Catholicos Orientales rejiciant; quos potius amantissime respiciunt, atque ut proprias oves cognoscunt. Quod insuper testantur tot, quos serie, ac successione nunquam interrupta, per Sacram Congregationem ad fidem propagandam mittunt, Missionarii per Orientem diffusi; ac tot Decreta, Constitutionesque Apostolicæ, quæ typis mandatæ publici juris sunt. Videatur etiam Appendix I. ad Ruthenos adjecta Opusculo sequenti: „ De Primatu Romani Pontificis &c. Num.IX.X.XI. „ Vos igitur estis, qui cum Patre, Summo Romano Pontifice, non permansistis, nec cum fratribus vestris, qui Occidentalis Ecclesiæ instituta sequuntur.

Eja ergo, quotquot a nobis recessistis: nunc tandem ( reposita est hæc spes nostra in sinu nostro ) tempus adveniat misericordiæ Dei nostri, ac mutatio dexteræ Excelsi. Audite, o Vos, Catholicam Ecclesiam: audite Romanum Pontificem, & nobiscum stabiles in fide, ac dilectione manete, ut & nos vobiscum maneamus, & Societas nostra sit cum Patre, & Unigenito Filio ejus Jesu Christo, & cum Spiritu Sancto Paraclito, ac ita unanimes honorificemus Deum, dum ab eo peregrinamur, & tandem una omnes, absque timore eum amittendi, Ipsum, sicuti est, in futuro Sæculo videamus.

*Vester ex animo*
Sacerdos Septimius Costanzi Romanus S.T.D.

# CAPUT I.

## PROLEGOMENON

*Dogma Substantialis Processionis Spiritus Sancti a Patre & Filio ad depositum fidei pertinet*). Substantialis Processionis Spiritus Sancti a Patre & Filio Catholicum Dogma, quod propugnandum suscipimus, depositum fidei esse a Christo Domino Apostolis traditum, & ab Apostolis Catholicæ Ecclesiæ consignatum, ex iis invicte nobis demonstrare datum esset, quæ *in Procemio alterius Opusculi nostri*: *De Primatu Jurisdictionis Romani Pontificis in Universum Orbem*: fusiori calamo disserimus. Probamus enim cum Sanctis Irenæo, & Vincentio Lirinensi, nec non cum Tertulliano, illud esse verum, ac pertinere ad depositum, quod S. Paulus (1. ad Timoth. 6. v. 20.) Timotheo præcipit, ut custodiat; illud scilicet (quemadmodum ea verba Apostoli explicans idem *Lirinensis Commonit. cap.* 27. inquit) „ quod tibi creditum est, non quod a „ te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem „ non ingenii, sed doctrinæ; non usurpationis privatæ, sed „ publicæ traditionis; rem ad te perductam, non a te prola- „ tam; in qua non auctor debes esse, sed custos; non in- „ stitutor, sed sectator; non ducens, sed sequens „; atque illud tenendum esse, quod *ubique*, quod *semper*, quod *ab omnibus* creditum est. Jam vero *ubique*, *semper*, *& ab omnibus dogma de Processione Spiritus Sancti a Patre & Filio* in Ecclesia Catholica, nemine per spatium octo, & amplius sæculorum negante, custoditum fuisse infra patebit. (*Impie Photius sugillavit Latinos*, *& præcipue Ecclesiam Romanam*, *qui hoc dogma sollicite custodiebant*). Nono enim Æræ Christianæ sæculo labente, impius Photius Epistolas ad Patriarchas, & Episcopos Orientales dedit Encyclicas (quas *e Vallicellianæ Bibliothecæ Codice* refert Baronius ad annum 863.), in quibus Latinos, & præcipue Romanam Ecclesiam sugillabat, quod inter alia „ Sacrum, & Sanctum Symbolum, quod ab omni- „ bus Synodicis, & Oecumenicis calculis irrefragabilem vim „ habet, atque auctoritatem, spuriis & falsis quibusdam di- „ sceptationibus, & alienis rationibus, & audaciæ quodam

„ excessu adulterare non dubitarunt „ (quæ nonnisi putidissima calumnia est, sicuti *ex Probationibus suo loco* afferendis liquet) „Spiritum Sanctum noviter docentes „ (quod falsissimum æque esse apparebit inferius) „ non de solo Patre, sed „ etiam de Filio procedere„. Attamen *fidei dogma esse Processionem Spiritus Sancti a Patre, & Filio*, quod nos Catholicæ Apostolicæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filii profitemur, Photius apprime noverat; (*Photius ipse sciens hanc veritatem docere suos Ecclesiam Catholicam, non insurrexit contra nos priusquam se damnatum accepisset.*) Unde de eo adversus Latinos (idest *Catholicos*) litem non movit antea, quam se a S. Nicolao I. Pontifice Maximo ob sua scelera, & errores damnatum, ac depositum accepisset. Hæc itaque vera Photianarum objectionum, & calumniarum causa: hic suæ defectionis fons fuit; quod digito demonstrat idem Sanctissimus Pontifex Nicolaus *in Epistola ad Hincmarum, aliosque Galliarum Episcopos data an. 867., quæ est ordine 70.* inquiens, „ Odio, & invidia contra nos inflammati, nobis, quæ in- „ fra adnotabimus, quasi crimina hæreseos impingere mo- „ liuntur. Odio quidem, quia Photii adulteri, & invasoris „ Constantinopolitanæ Ecclesiæ, atque Neophiti, a deposi- „ tis, & anathematizatis factam promotionem non solum „ non approbavimus, sed & damnavimus: Fratris scilicet, „ & Co-Episcopi nostri Ignatii ejusdem Ecclesiæ Patriarchæ „ dejectionem, utpote a subjectis, & ab Imperiali potentia „ factam, nullo suscipientes assensu. Invidia vero, quia „ Regem Bulgarum, Michaelem nomine, cum gente sua, „ Cristi fide suscepta, a Sede Beati Petri Institutores, & „ doctrinam expetivisse audierunt. Volentes quippe, ni- „ miumque anhelantes a Beati Petri subjectione eosdem Bul- „ garos subducere, suoque imperio, sub prætextu Christia- „ næ Religionis, callide subjugare, talia de Sancta Romana „ Ecclesia non habente maculam, aut rugam, aut aliquid „ hujusmodi, prædicant: quatenus illi, utpote adhuc in „ fide rudes, hæc audientes, nos quasi noxios, & diversa- „ rum hæreseon squalloribus respersos vitent, declinent, „ atque penitus deserant„. Hanc ob causam *in illa Circulari Photii Epistola* tam frequens Bulgarorum commemoratio. (*Ast firmitatem fidei Orientalium non potuit Photius concutere*)

Ast fides de dogmate, quod tuemur, in Christianorum Orientalium, æque ac Occidentalium mentibus, & cordibus adeo altas radices fixerat, ut Photio Ecclesiam Orientalem ab Occidentali discindere datum non fuerit; imo potius, eo tandem dejecto e Constantinopolitano Patriarchatu, quem ut adulter, invasorque sibi rapuerat, anno 886. Schisma illud extinctum penitus est; ceu patet *ex Styliani Neocaesariensis, aliorumque Orientalium Episcoporum Epistola hoc anno ad Stephanum V. Romanum Pontificem scripta; & ex altera*, qua anno 889. eundem Pontificem de Photii depositione, aliisque gestis, deque eorum erga Apostolicam Sedem, ac Prædecessores Pontifices Nicolaum, & Hadrianum, Synodumque *Constantinopolitanam IV. œcumenicam* reverentia, & obedientia, certiorem reddiderunt. ( apud Labb.Tom.X. & XI. ) Et sane *Leo* Orientis Imperator, merito *Sapiens* nuncupatus, Basilii Macedonis Filius, & Photio synchronus, *Epistolam ad Omarum Saracenorum Caliphum* de Christianæ Fidei veritate scripsit, in qua Sanctissimæ Trinitatis dogma exponens, *Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere* profitetur. ( Bibliot. PP. Tom. XVII. ). Unde recte *Baronius ad annum* 911. colligit ( Annal. Tom. XI. ), hanc doctrinam tunc temporis apud Græcos adhuc invaluisse, tametsi Photius, discessionis a Romana & Apostolica Sede ( hoc est ab Ecclesia Catholica ) undequaque causas conquirens, illam ipsam Latinorum fidem reprobaret.

( *Hæresis de Processione Spiritus Sancti a solo Patre non revixit, nisi Sæculo Christi XI. auctore Michaele Cerulario* ). Non autem hæresis illa negans *Processionem Spiritus Sancti a Patre & Filio* revixit, nisi biscentum paulo minus elapsis a Pothii dejectione annis, cum scilicet radix peccatrix Michael Cerularius in Latinam Ecclesiam totis viribus debacchari cœpit, nempe *anno Christi* 1053., *& in Epistola suo, & Leonis Achridani Archiepiscopi nomine ad Joannem Tranensem in Apulia Episcopum* inscripta ( quam *Humbertus Sylvæ Candidæ Episcopus*, eaque tempestate Constantinopolim a Summo Pontifice Sancto Leone IX. Legatus missus, latinitate donavit ), veteres calumnias „ adversus Sanctam Romanam, & „ Apostolicam Sedem, imo contra omnem Latinam, & Oc„ cidentalem Ecclesiam pervicaciter ingeminavit „; eamque

accusavit, præter coetera, quod „ Sacro Symbolo particu-
„ lam *Filioque* addiderit, & male de Spiritu Sancto senti-
„ ret „. Ast, ne acta agere videamur, quippe in præfato *alterius Opusculi nostri Proœmio* jam de Cerulario ipso verba facimus, ac nota satis est ejus ambitio, atque superbia, ob quam discordiæ classicum canens, vexillum Photiani jamdiu sopiti, atque anathematizati Schismatis erexit, ac a Romani Pontificis obedientia, & obsequio, Ecclesiæqne Catholicæ Communione discedere sategit; propterea illuc veritatis amatores (quales tandem esse Græcos a nobis Dissidentes vehementer optamus, &, ut sint, per viscera D.N. Jesu Christi, Deum, cujus misericordiæ non est numerus, exoramus), libenter remittimus; suadentes eis, quod si adhuc plura desiderent, luculentissimam adeant *S. Leonis IX. Epistolam ad Cerularium ipsum datam* (*ordine I.*), qua omnes impudentissimi, ambitiosique hominis in Romanam, totamque Occidentalem Latinorum Ecclesiam calumnias per singula diluit; aliamque itidem *Litteram* (*ordine VI.*) perlegant, in qua Sanctus Pontifex superbo illi gravibus verbis exprobans, ait: „ Illud autem quis non stupeat, quod post
„ tot Sanctos, & Orthodoxos Patres per mille & viginti a
„ Passione Salvatoris annos, novus calumniator Ecclesiæ
„ Latinorum emersisti . . . . . Quam præsumptionem tuam
„ & fama nobis obtulit, & litterarum sub nomine tuo ad
„ Apulos datarum textus manifestavit „: Hinc post plurima:
„ Cessent ergo hæreses, & Schismata, & diligentibus le-
„ gem Dei jam non erit scandalum, sed pax multa. Qui-
„ cumque gloriatur Christiano nomine, cesset Romanam
„ Sanctam, & Apostolicam Ecclesiam maledicere, & laces-
„ sere; quia frustra Patrem familias honorat quisquis Spon-
„ sam ejus exhonorat „.

(*Photiana*, *&* *Cerulariana commenta hæreses sunt*). Quum hæc igitur fuerint Photianorum errorum initia, eaque recentissima; quum novitates istæ octo & amplius Saeculis a Christo, & ab Apostolis, ex inferorum latebris emerserint; quumque nonnisi mille, & amplius annis post Christum natum fuerint iterum venditatæ, potuerunt ne Photiana ea, ac Ceruláriana prolata tradi ab Apostolis, qui a Christo Domino acceperunt? Potueruntne in pretiosissimo fidei

deposito contineri, Ecclesiæ Catholicæ consignato; cum hæc semper, tot etiam ante Photium, & Cerularium Sæculis, fideles suos dogmata docuerit tum *de Spiritus Sancti a Patre & Filio Processione*, tum & alia omnia quæ Græci Dissidentes negant, & ipsa sicut docuit, docet adhuc, & jugiter ad finem usque saeculorum docebit? Minime certe. Photii ergo dictata, inventa sua sunt, in quibus ipse auctor impellentibus odio, & invidia; ac per consequens inter hæreses numeranda. *Præscripsit* Catholica Ecclesia, & cum ipsa Latini ejus fidelissimi filii. Impugnantes audiendi non sunt, atque, *ut Juristæ ajunt*, a limine sunt judicii repellendi. At nolumus ulterius progredi: nam ea, quæ in *jam memorato Prœmio Operis nostri de Primatu Jurisdictionis Romani Pontificis in Universum Orbem* fusius damus, omnia apprime referuntur ad rem, de qua nunc agere gratia D. N. Jesu Christi instituimus. Hæc igitur veluti *præsentis Opusculi Prolegomenon*. Itaque

## CAPUT II.

*Propositio: Spiritus Sanctus a Patre Filioque substantialiter procedit.*

I. (*Catholica Ecclesia credit Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere*). Catholica Ecclesia, cui D.N. Jesus Christus se perpetuo adfuturum promisit verbis illis, quibus Apostolos suos est allocutus (*Matth. cap. ult. vers. ult.*) „ Ecce „ ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem Sæculi „, & quam proinde semper, ac indefectibiliter virtus Altissimi obumbrat, & fulgore divinæ claritatis Spiritus Sanctus illuminat, ab ipso Christo per Apostolos edocta, firma fide tenet, & credit *in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit*. Hoc enim dogma Catholicam Ecclesiam jam inde ab initio cum in Oriente, tum in Occidente professam fuisse, plane constat ex perspicuis Patrum Orientalium, & Occidentalium Sententiis, quæ deinceps vel afferentur, vel indicabuntur: Insuperque ex testimoniis Synodorum in Oriente, atque Occidente celebratarum, quæ post ortam, & anathemate *in*

*Concilio Constantinopolitano I. Generali anni* 381. profligatam impiam Macedonii hæresim, expressius fidem de Processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio confessæ sunt, plene convincitur.

II. (*Quare Græci Dissidentes Dogma idem nequeunt in discrimen adducere absque hæreseos nota*). Cum autem hoc Fidei Dogma non tantum a Nationalibus, sed etiam a Generalibus Conciliis propositum, ac definitum fuerit, latumque anathema in omnes qui ipsum non credant, ut suo loco referemus; quo tandem modo Græci a Latinis Dissidentes (non enim omnes dissident, quin imo plurimi ex ipsis, præstanti doctrina viri, egregiis operibus pro Catholica, de qua agimus, veritate strenue certarunt) se Catholicos esse, veramque fidem profiteri censent? Nam ipsi quoque Synodos Ephesinam I., Chalcedonensem, Constantinopolitanas II. & III., & Nicænam II., ut Generales suscipiunt, ac venerantur; nec Lateranensem IV. sub Innocentio III., Lugdunensem II. sub B. Gregorio X., & Florentinam sub Eugenio IV. Generales fuisse; atque a Romanis Pontificibus confirmatas negare possunt: Et præterea fatentur, & fateantur oportet, Concilium Generale confirmatum auctoritate Romani Pontificis certam fidem facere dogmatum Catholicorum. Secus enim, Arii, Macedonii, Nestorii, aliorumque hæreses, etsi a Generalibus Synodis damnatæ defendi impune possent, & Symbolum etiam Nicænum esset ambiguum.

III. (*Ad Dissidentes Græcos vocandos ad Unitatem S. Matris Ecclesiæ dirigitur hoc Opusculum*). Sed quoniam plerique illorum fortasse demonstrationi huic, tametsi perspicuæ, ac solidissimæ, minime acquiescent, ad eos, aspirante Dei gratia, ab errore ad Catholicam de Sancti Spiritus Processione dogmatis confessionem adducendos, principio statum controversiæ de hoc doctrinæ capite inter Græcos & Latinos exortæ exponemus; deinde argumenta nonnulla proferemus, quibus tam invicte probetur, *Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere*, ut hoc negare quisquam non possit, nisi sciens, prudensque velit ipsi Spiritui Sancto resistere; postremo præcipuas Græcorum Dissidentium adversus Latinos criminationes diluemus. Quamquam vero ad germanum verborum, quæ ex Sacris Litteris producemus, sen-

sum explicandum, confirmandumque, & ad objectiones refutandas, ut plurimum Græcorum Patrum testimoniis utemur, aliqua tamen ex Latinis quoque Patribus, & Doctoribus depromemus, quoniam isti aeque, ac illi Catholicas veritates fideliter custodierunt, ac tradiderunt, exempla sequuti (ut cætera omittamus) Generalis Concilii Chalcedonensis Act. II., S. Basilii lib. de spiritu Sancto cap. 29. &c.

## CAPUT III.

*Exponitur Status Controversiæ de Spiritus Sancti substantiali a Filio quoque Processione inter Græcos, & Latinos.*

IV. (*De Processionis in Divinis intelligentia*). *Processionis* nomen primo inventum ad significandum motum localem, secundum quem aliquid ab uno loco per medium ordinatim in extremum transit; transmissum deinde est ad significandum omne illud, in quo est aliquis ordo unius ex alio, vel post aliud. Inde est, quod in omni motu utimur nomine processionis, sicut dicimus quod corpus procedit de parva quantitate ad magnam; & similiter utimur nomine processionis, ubi est aliqua emanatio alicujus ab aliquo, sicut dicimus quod radius procedit a Sole, & omnis operatio ab operante, & etiam operatum, sicut artificiatum ab artifice, vel genitum a generante. Est autem duplex operatio, quædam quidem transiens ab operante in aliquid extrinsecum, sicut calefactio ab igne in lignum: & hæc quidem operatio non est perfectio operantis, sed operati, non enim aliquid acquiritur igni ex hoc quod est calefaciens, sed calefacto acquiritur calor. Alia vero est operatio non transiens in aliquid extrinsecum, sed manens in ipso operante, sicut intelligere, sentire, velle, & hujusmodi: hæ autem operationes sunt perfectiones operantis; intellectus siquidem non est perfectus, nisi per hoc quod est intelligens actu; et similiter sensus, nisi per hoc quod actu sentit.

V. (*Continuatur*). Hoc duplex operationis genus Deo attribuimus; genus quidem operationis in aliud extrinsecum transeuntis Deo attribuimus, in quantum dicimus, quod

creat, conservat, & gubernat omnia; ex quo quidem operationis genere nulla perfectio Deo advenire significatur, sed magis quod perveniat in creaturam perfectio ex perfectione divina. Aliud vero operationis genus Deo attribuimus, in quantum ipsum intelligentem, & volentem dicimus, in quo ipsius perfectio significatur: non enim esset perfectus, nisi esset intelligens, & volens actu.

VI. (*Quotuplex in Divinis Processio*). Jam Processio immanens in Deo considerari potest *active*; & sic est actio, qua Persona divina alteri Personæ vere, & proprie naturam divinam ab æterno communicat: & *passive*, & sic dicit terminum, seu Personam, cui ab alia Persona ab æterno vere, & proprie Divina natura communicatur. Duæ autem tantum sunt in Deo *processiones activæ*; nempe processio activa Verbi, quæ est actus Divini Intellectus; & processio activa Spiritus Sancti, quæ est actus Divinæ voluntatis. Itemque duo tantum sunt *processiones passivæ*; nam duo tantum sunt termini producti per processiones activas Divinas, Verbum, & Spiritus Sanctus. Pater enim, cum sit fons, origo, & principium totius Deitatis, ita alias Personas producit, ut ipsa a nulla alia Persona producatur, aut produci possit. Quapropter ejus character, & personalis proprietas est esse innascibilem, & ingenitum, ut ex communi Catholicæ Ecclesiæ doctrina tradit *S. Thomas Aquinas I. part. Theologicæ summæ quæst.* 33. *art.*4. Ex his porro duabus processionibus (ut animadvertit *idem S. Doctor cit. part. quæst.* 27. *art.*2. *c.*) „ Processio Verbi in Divinis habet rationem generationis: „ procedit enim per modum intelligibilis actionis, quæ est „ operatio vitæ, & a principio conjuncto . . . ., & secun- „ dum rationem similitudinis, quia conceptio intellectus „ est similitudo rei intellectæ existentis in eadem natura, „ quia in Deo idem est intelligere, & esse . . . Unde . . . . „ & ipsum Verbum procedens dicitur Filius „. Processio autem Spiritus Sancti (*ex ipsomet S. Doctore ibid. qu.* 36. *ar.* 1. *in corp.*) non habet proprium nomen, „ quia (ut *idem* ob- „ servat. dicta qu. 27. art.4. c.) processio . . . . quæ atten- „ ditur secundum rationem voluntatis . . . . non conside- „ ratur secundum rationem similitudinis, sed magis secun- „ dum rationem impellentis, & moventis in aliquid: Et

„ ideo, quod procedit in Divinis per modum amoris . . . .
„ procedit ut Spiritus; quo nomine quædam vitalis motio,
„ & impulsus designatur, prout aliquis ex amore dicitur
„ moveri, vel impelli ad aliquid faciendum „. Hæc omnia Orientales Græci Latinis facile concedunt.

VII. ( *Processiones in Divinis admittendæ, & quidem duæ* ). Quum enim *Christus Dominus apud S. Joannem* ( Evang.cap.8. v. 42. ) dicat: „ Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique me: ego enim ex Deo processi, & veni: neque enim
„ a me ipso veni, sed ille me misit „: & ( 15.v.26. ) „ Cum
„ autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre,
„ Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium
„ perhibebit de me „, perspicuum est, Processiones Personarum in Deo admittendas, & quidem duas, *Verbi* nimirum, ac *Spiritus Sancti*: cumque in Sacris Litteris solum *Verbum* appelletur Filius, & quidem Unigenitus, nec ullibi *Spiritus Sanctus* genitus, aut filius dicatur, consequens est, Processionem Verbi in Divinis habere rationem generationis, non vero Processionem Spiritus Sancti. Denique; cum Filius procedat per modum Verbi, Spiritus Sanctus per modum amoris, hinc recte concluditur *processionem activam Verbi* esse actum Divini Intellectus, *processionem* autem *activam Spiritus Sancti* esse actum divinæ Voluntatis. At vero Græci iidem Orientales, quod attinet ad sacratissimum dogma Processionis Spiritus Sancti, Latinis asserentibus, Spiritum Sanctum ut a Patre, ita a Filio vere, ac proprie procedere, mordicus repugnant; & quæ de ipsius Spiritus Processione a Filio in Sacris Litteris, veterumque Patrum, præsertim Latinorum, scriptis leguntur, vel gratis, & contra rationem rejiciunt, vel ad Missionem Spiritus Sancti temporalem, hoc est ad puram externorum charismatum largitionem Sanctissimæ Trinitati communem, falsis interpretationibus referunt; ac Latinos, quasi credant contra Sacræ Scripturæ auctoritatem, dum Spiritum Sanctum æterna, & substantiali Processione a Filio quoque procedere credunt, hæresis accusant; & anathematis *In Ephesina I. Generali Synodo* lati adversus illos, qui alteram fidei formulam conderent, vinculo irretitos putant, propterea quod *Constantinopolitano Symbolo* particulam *Filioque* addiderint. Verum, qui nos

Latinos his de causis hæresis, violatique Ephesini illius decreti reos agunt, facile perspicient, quam longe a fide ipsimet aberrent, si mente veteribns præjudiciis soluta perpenderint auctoritatis, rationisque theologicæ momenta, quæ pro Catholico dogmate de Spiritus Sancti a Filio quoque Processione, & pro additione particulæ *Filioque* Symbolo insertæ afferemus; quod dogma *in Florentina Synodo Generali* Majores illorum agnoverunt, & professi sunt.

## CAPUT IV.

### *Ex Sacris Litteris demonstratur Spiritum Sanctum etiam a Filio quemadmodum a Patre Substantialiter procedere.*

VIII. (*Spiritus Sanctus a Patre procedit; ergo & procedit a Filio*). Principio, ex *Christi Domini* de Paracleto verbis *in Evangelio S. Joannis cap.* 15. *v.* 26. relatis „ *qui a Patre* „ *procedit* „ Græci quoque Orientales a Latinis Dissidentes deducunt, Spiritum Sanctum a Patre substantialiter procedere: Igitur ipsum a Filio etiam substantialiter procedere fateantur necesse est. Non enim negare possunt eamdem in Filio spirandi vim esse, quæ in Patre, a quo per ipsam vim Spiritus Sanctus substantialiter, illis confitentibus, procedit, nisi impie refragari velint *Filio eidem apud S. Joannem ajenti* (*Evang.* 10. *v.* 30.) „ Ego & Pater unum sumus „: & (*cap.* 16. *v.* 15.) „ omnia, quæcumque habet Pater, mea „ sunt „: & (17. *v.* 10.) „ & mea omnia tua sunt, & „ tua mea sunt „: & (*Matth.* 11. *v.* 17.) „ Omnia mihi „ tradita sunt a Patre meo „: quorum simile est, quod S. Joannes (*Evang.* 13. *v.* 3.) commemorat de Christo: „ Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus „. Ex quibus Patres, etiam Orientales, recte intulerunt illud, quod *in Florentinæ Synodi definitione* (inferius Num. XX. referenda) deinde expressum fuit his verbis: „ Omnia quæ Patris sunt, „ Pater ipse Unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem „; atque adeo vim spirativam, qua ab ipso Patre Spiritus Sanctus substantialiter procedit; atque ex hoc etiam sequitur, quod & Filius spiret Spiritum Sanctum,

quoniam „ hoc ipsum, quod Spiritus Sanctus procedit ex „ Filio, Filius a Patre æternaliter habet, a quo æternaliter „ est genitus „ (ex eodem Decr. Florent.). Longum esset omnes SS. Patres commemorare: itaque paucis contenti erimus. *S. Athanasius*, *Orat.* 3. *contra Arianos*, ait: „ Quia „ ergo unum illi sunt, unaque ipsa est Divinitas; idcirco „ eadem de Filio, quæ de Patre, dicuntur, Patris excepto „ nomine „. *S. Gregorius Nazianzenus Orat.* 44. *in Pentecosten*: „ Quid pluribus opus est? Omnia quæcumque Pater „ habet, sunt Filii, præterquamquod ingenitus non est. „ Omnia, quæcumque Filius, Spiritus Sancti sunt, si ge„ nerationem exceperis. Hæc porro substantiam non secer„ nunt, ut quidem ipse sentio, verum circa substantiam se„ cernuntur „. *S. Cyrillus Alexand. Thesaur. Assert.* 14. *in* „ *solut. prim. object. Arian.* „ Nihil lædit essentiam Verbi „ aliquid a Patre accipere . . . ., atque ea ipsa ratione, „ qua ex Patre naturaliter genitus est, simul etiam habet „ omnia, quæ Patri propria sunt „: *Et cont. aliam object. haeret*: „ Non enim dedit Pater tamquam aliquid ex iis, „ quæ sibi insunt, adimens, & non habenti Filio adjiciens, „ quemadmodum in sectionibus, & distantiis corporeis „ fit . . . ., sed sicut planta in fructum, qui ex se proce„ dit, naturalem suam qualitatem propagat: ita & Filius a „ Patre accepisse, quæ ipsi insunt, intelligitur, omnia exi„ stens quæ & Pater, præter id solum quod sit Pater „: *Atq. in explanat. Anathemat.* 9. „ Etsi Unigenitum Dei Ver„ bum homo factum est, mansit tamen Deus, omnia, præ„ ter solam Paternitatem, cum Patre communia habens; „ Spiritumque Sanctum, qui ex ipso est, ipsique essentia„ liter inest, proprium habens, divinæ potentiæ signa ope„ rabatur „. *Didymus Lib.* 1. *de Trinitate cap.* 26. „ Omnia „ ergo quæ Patris sunt, sua dixit esse, ita ut nihil amplius „ Deo Patri det, nisi hoc solum, quod ipse sit coaeterni, „ ac simul cum eo subsistentis Filii Pater. Sic nos credere „ jubet oraculum illud, *omnia mea tua sunt*, *&* *tua mea*: „ (*Joann.* 17. *v.* 10.). *S. Joannes Damascenus lib.* 1. *de Fide Orthod. cap.* 8. „ Verbum . . . . dicitur . . . . Filius . . . ., „ ac paternæ substantiæ figura, quia perfectus est, ac subsi„ stens, exceptaque ingeniti proprietate per omnia Patrem

„ refert, atque exprimit . . . quæ Pater habet, Filii sunt, „ hoc uno excepto, quod ingenitus non est „. Tantum ergo abest, ut ex laudatis Christi verbis, qui *a Patre procedit*, damnata Græcorum Orientalium a Latinis Dissidentium opinio de substantiali Spiritus Sancti a solo Patre Processione confirmetur, quin ex iisdem verbis collatis cum aliis, quæ attulimus, ipsius Christi, funditus evertatur. Nam, si Filio eadem non esset spirandi vis, qua ex Patre substantialiter Spiritus Sanctus procedit, quomodo Ipse unum esset cum Patre, & haberet quæcumque Pater habet præter esse Patrem, ut Ipse de se aperte testatur; quod per consequens Patres etiam Orientales profitentur, & Græci cum Latinis in Generali Florentina Synodo definierunt? Sane, si Pater, & Filius non haberent omnia communia, excepta relatione opposita, distinguerentur *plusquam relatione*, proindeque distinguerentur substantia, nam Pater, ut spirator, non est relativum oppositum ad Filium; ergo si ut spirator distinguitur a Filio, distinguitur per spirationem, non ut est opposita relatio, sed ut est forma quædam in Patre subsistens, ideoque Pater, & Filius in substantia differunt, quæ est hæresis Arianorum.

IX. (*Quare D. N. J. C. de Paraclyto dixerit, quod a Patre procedit.*) Cur autem Christus Dominus de Paraclyto dixerit, *qui a Patre procedit*, causam reddunt *S. Augustinus, & S. Thomas Aquinas*; nempe quod Pater Processionis Spiritus Sancti a Filio sit auctor, qui talem Filium genuit, & gignendo ei dedit, ut etiam de ipso procederet Spiritus Sanctus. *S. Augustinus lib. II.* (*alias III.*) *con. Maximin. Arian. cap. 14. num. 1.* „ De Patre est (inquit) Filius: de Patre est „ Spiritus Sanctus; sed ille genitus, iste procedens. Ideo „ ille Filius est Patris, de quo est genitus; iste autem Spiri„ tus utriusque, quoniam de utroque procedit. Sed ideo, „ cum de illo Filius loqueretur, ait, *de Patre procedit, quo„ niam* Pater Processionis ejus est auctor, qui talem Filium „ genuit, & gignendo ei dedit, ut etiam de ipso procede„ ret Spiritus Sanctus. Nam; nisi procederet & de ipso, „ non diceret Discipulis, *Accipite Spiritum Sanctum* (Jo. 20. „ v. 22.). cumque insufflando daret, ut a se quoque proce„ dere significans, aperte ostenderet flando, quod spirando

„ dabat occulte . . . Amborum est ergo Spiritus procedendo „ de ambobus „. Et *Tract.99. in Joan. num. 8.* „ Si . . . & „ de Patre, & de Filio procedit Spiritus Sanctus, cur Filius „ dixit, *de Patre procedit*? Cur putas, nisi, quemadmodum „ ad eum solet referre & quod ipsius est, de quo & ipse est? „ Unde est illud, quod ait, *mea doctrina non est mea, sed* „ *ejus, qui me misit* ( Joan. 7. v. 16. ). Si igitur intelligitur „ hic Ejus doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Pa„ tris; quanto magis illic intelligendus est & de Ipso proce„ dere Spiritus Sanctus, ubi sic ait, de *Patre procedit*; ut „ non diceret, de me procedit? A quo autem habet Filius „ ut sit Deus ( est enim Deus de Deo ), ab illo habet utique „ ut etiam de illo procedat Spiritus Sanctus; ac per hoc Spi„ ritus Sanctus ut etiam de Filio procedat ( sicut procedit de „ Patre ), ab ipso habet Patre „. Et *num.9.* „ Neque enim „ possumus dicere, quod non sit Vita Spiritus Sanctus, cum „ vita Pater, vita sit Filius. Ac per hoc, sicut Pater cum „ habeat vitam in semetipso, dedit & Filio habere vitam in „ semetipso, sic ei dedit Vitam procedere de illo, sicut „ procedit & de ipso „. Et *lib.15. de Trinit. cap.17. num.29.* „ Non frustra in hac Trinitate non dicitur . . . de quo geni„ tum est Verbum, & de quo procedit principaliter Spiritus „ Sanctus, nisi Deus Pater. Ideo autem addidi *principali*„ *ter*, quia & *de Filio Spiritus Sanctus procedere* reperitur. „ Sed hoc quoque illi Pater dedit, non jam existenti, & „ nondum habenti, sed quidquid Unigenito Verbo dedit, „ gignendo dedit. Sic ergo Eum genuit; ut etiam de illo „ Donum commune procederet, & Spiritus Sanctus, Spiri„ tus esset amborum „. Quo etiam spectant, quæ *idem S. D. habet pariter de Trinit. lib.4. cap.20. num.9.* „ Sicuti Spi„ ritui Sancto donum Dei esse est a Patre procedere; ita „ mitti est cognosci quia ab illo procedat. Nec possumus di„ cere, quod Spiritus Sanctus & a Filio non procedat: Ne„ que enim frustra idem Spiritus & Patris & Filii Spiritus di„ citur: Nec video, quid aliud significare voluerit, cum „ sufflans in faciem Discipulorum ait, *accipite Spiritum* „ *Sanctum*: neque enim flatus ille corporeus . . . . sub„ stantia Spiritus Sancti fuit, sed demonstratio per con„ gruam significationem, non tantum a Patre, sed & a Fi-

„ lio procedere Spiritum Sanctum. Quis enim dementissi„ mus dixerit alium fuisse Spiritum, quem sufflans dedit, „ & alium post Ascensionem suam Discipulis misit? .... „ Quod ergo ait Dominus, *quem ego mittam vobis a Patre*, „ ostendit Spiritum Patris, & Filii. Quia etiam cum dixis„ set, *quem mittet Pater*, addidit, *in Nomine meo*; non ta„ men dixit, *quem mittet Pater a me*, quemadmodum dixit, „ *quem ego mittam vobis a Patre*; videlicet ostendens, quod „ totius Divinitatis, vel, si melius dicitur, Deitatis prin„ cipium Pater est. Qui ergo a Patre procedit, & Filio, „ ad eum refertur, a quo natus est Filius. Et quod dicit „ Evangelista (Joan. 7. v. 39.) *Spiritus nondum erat datus*, „ *quia Jesus nondum erat glorificatus*, quomodo intelligitur, „ nisi quia certa illa Spiritus Sancti datio, vel missio post „ clarificationem Christi futura erat, qualis nunquam antea „ fuerat? Neque enim antea nulla erat, sed talis non fue„ rat &c. „. *S. Thomas* autem *Sum. con. Gent. lib.4. cap. 25.* cum retulisset a quibusdam objici, „ quod Dominus de Pro„ cessione Spiritus Sancti loquens, eum a Patre procedere „ dixit, nulla mentione facta de Filio, ut patet *Joann.15.* (*ver.26.*), ubi dicitur, *cum venerit Paraclytus, quem ego* „ *mittam vobis a Patre, Spiritum Veritatis, qui a Patre pro*„ *cedit* „ subdit „ sed hoc omnino frivolum est. Nam prop„ ter unitatem essentiæ, quod in Scripturis de una Persona „ dicitur, & de alia oportet intelligi, nisi repugnet proprie„ tati personali ipsius, etiamsi dictio exclusiva adderetur. „ Licet enim dicatur Matt. 11. (v.27.), quod, *nemo novit* „ *Filium, nisi Pater*, non tamen a cognitione Filii vel ipse „ Filius, vel Spiritus Sanctus excluditur. Unde etiamsi di„ ceretur in Evangelio, quod Spiritus Sanctus non procedit „ nisi a Patre, non per hoc removeretur quin procederet a „ Filio, cum hoc proprietati Filii non repugnet .... Nec „ est mirum, si Dominus Spiritum Sanctum a Patre proce„ dere dixit, de se mentione non facta; quia omnia ad Pa„ trem referre solet, a quo habet quidquid habet; sicut „ cum dicit Ioann. (v.16.) *mea doctrina non est mea, sed ejus* „ *qui misit me, Patris*; & multa hujusmodi in verbis Domi„ ni inveniuntur ad commendandam in Patre auctoritatem „ principii. Nec tamen in auctoritate præmissa omnino

„ obticuit, se esse Spiritus Sancti principium ; cum dixit
„ eum *Spiritum Veritatis*, se autem prius dixerat Verita-
„ tem „. Et *Part. I. Sum. Theol. quæst.36. ar.2. in respons. ad I.* „ Dicendum, quod de Deo dicere non debemus, quod
„ in Sacra Scriptura non invenitur vel per verba, vel per sen-
„ sum. Licet autem per verba non inveniatur in Sacra Scrip-
„ tura, quod Spiritus Sanctus procedit a Filio, invenitur
„ tamen quantum ad sensum, & præcipue ubi dicit Filius
„ Joann. 16. v.14. de Spiritu Sancto loquens, *ille me clarifi-*
„ *cabit, quia de meo accipiet*. Regulariter etiam in Sacra
„ Scriptura tenendum est, quod id, quod de Patre dicitur,
„ oportet & de Filio intelligi, etiamsi dictio exclusiva ad-
„ datur, nisi solum in illis, in quibus Pater, & Filius se-
„ cundum oppositas relationes distinguuntur. Cum enim
„ Dominus Matt.11. 27. dicit, *nemo novit Filium, nisi Pa-*
„ *ter*, non excluditur, quin Filius seipsum cognoscat. Sic
„ igitur cum dicitur, quod Spiritus Sanctus a Patre procedit,
„ etiamsi adderetur, quod a solo Patre procedit, non ex-
„ cluderetur inde Filius: quia quantum ad hoc quod est esse
„ principium Spiritus S. non opponuntur Pater, & Filius; sed
„ solum quantum ad hoc, quod hic est Pater, & ille Filius „.

X. (*Processio substantialis Spiritus Sancti etiam a Filio, invenitur quantum ad sensum in SS. Scripturis*). Quam vere autem SS. isti DD. tradiderint, Processionem substantialem Spiritus Sancti a Filio, *licet non per verba, per sensum tamen in Sacra Scriptura inveniri*, non modo ex illis *Christi Domini verbis* (*Joann.15. v.26.*) *qui a Patre procedit*, sed etiam ex aliis sacri Eloquii locis, quorum aliqua ab ipsis SS. DD. in descriptis eorum testimoniis recitata sunt, ad evidentiam demonstratur. Et quidem Spiritus Sanctus quemadmodum dicitur *Spiritus Dei* (*Matt.12. v.28.*) „ Si . . . . Ego in Spiritu
„ Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei „:
& alibi sæpe; & *Spiritus Patris* (*Matt. 10. v.20.*). „ Non
„ enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri,
„ qui loquitur in vobis „. Ita dicitur *Spiritus Filii* (*ad Galat.4. v.6.*) „ Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra
„ clamantem, Abba, Pater „. *Spiritus Christi* (*ad Rom.8. v.9.*) „ Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est
„ ejus „; *Spiritus Jesu* (*Act. 16. v. 7.*) „ Cum venissent . . .

„ in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit „ eos Spiritus Jesu „. *Spiritus Veritatis* (*Joan.* 15. *v.* 6.) „ Cum venerit Paraclytus, quem ego mittam vobis a Patre, „ *Spiritum Veritatis*, qui a Patre procedit, ille testimonium „ perhibebit de me „. Et *Spiritus Vitæ* (*ad Rom.* 8. *v.* 2.) „ Lex *Spiritus Vitæ* in Christo Jesu liberavit me a lege pec„ cati „. Quæ duo *Spiritus Veritatis*, & *Vitæ* eodem recidunt, ac *Spiritus Filii*, *Christi*, & *Jesu*, qui (*Joan.* 14. *v.* 6.) de se inquit: „ Ego sum Via, Veritas, & Vita „. Cum igitur Spiritus Sanctus, ut Spiritus Patris, ita Spiritus Filii appelletur, „ cur . . . . non credamus, quod etiam de Fi„ lio procedat Spiritus Sanctus, cum Filii quoque ipse sit „ Spiritus? „ ut præclare ratiocinatur *S. Augustinus Tract.* 99. *in Joann. num.* 7. Quid enim est, esse Spiritum Patris & Filii, nisi ipsum ab utroque originem habere, atque adeo a Patre, Filioque procedere? Ut enim tradit *S. Thomas in Sum. con. Gen. lib.* 4. *cap.* 24. *ad* 1. „ Est . . . . Spiritus Sanctus Spiri„ tus Christi, in quantum est Filius Dei naturalis. Non „ potest autem secundum aliam habitudinem Spiritus S. dici „ Spiritus Filii Dei, nisi secundum aliquam originem, quia „ hæc sola distinctio in Divinis invenitur „. Quamobrem S. D. hæc subdit: „ Necesse est igitur dicere, quod Spiri„ tus S. sic sit Filii, quod ab eo procedat „. Quam in rem clara, Orientalium etiam Patrum, testimonia extant. In primis autem *SS. Athanasii*, *Epiphanii*, & *Cyrilli Alexandrini*. Etenim *S. Athanasius Epist.* 1. *ad Serap. n.* 25. ait: „ Si Filius, quia est ex Patre, proprius idcirco ejusdem sub„ stantia est: necesse est similiter Spiritum, qui ex Deo esse di„ citur, proprium quoque Filii esse secundum substantiam „. Quomodo vero Spiritus S. proprius esse Filii secundum substantiam potest, nisi ab eo substantialiter habeat originem, quod est substantialiter procedere? Et lib. *de Trinit.* & *Spir. S. num.* 19. „ Igitur Salomone dicente, *Lux Domini spiratio* „ *est hominum* (*Prov.* 20. *v.* 27.); & a *Moyse* instructi, *spi*„ *ravit Dominus in faciem Adae Spiraculum vitæ, & factus est* „ *in animam viventem* (*Genes.* 2. *v.* 7.); audientes vero & *Sal*„ *vatorem* dicentem, *Ego sum vita* (*Joann.* 14. *v.* 6.); & *Pau*„ *lum* scribentem, *Lux enim Spiritus vitæ* (*ad Rom.* 8. *v.* 2.); „ & rursum, *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra* (*ad*

„ *Galat.*4. *v.6.*) ; videntes autem *Unigenitum* insufflantem „ in faciem Apostolorum, & dicentem, *Accipite Spiritum* „ *Sanctum* (*Joann.*20. *v.*23.) spirationem Filii in propria vita, „ & substantia manente Spiritum esse doceamur, & neque „ genitum, neque creatum esse a Filio sapiamus, nequa„ quam Unigenitum Filium credamus esse Spiritum, & quod „ Dominus sit Verbum Filii, genitum vero a Deo Verbum „ suum in propria vita & substantia permanens, cum sit „ Vita Filius Dei. Propterea vero non est genitus ab eo „ Spiritus, quia non est Verbum ejus. Creatum vero dicere „ Spiritum, absit. Verumtamen Spirationem Filii Dei eum „ ex Sacris Scripturis docti sumus, & fontem Spiritus, & „ Filium Dei dicimus . . . . Aqua viva Spiritus Sanctus est, „ sicut *Joannes* docuit (*Evang.*4. *v.*10., & 7. *v.*37. *seq.*) . . . „ Ita etiam & Isaias (*Cap.XLIV. v.*3. *seq.*) . . . . Ergo ma„ nifeste, Scripturis Sanctis profitentibus, *aquam vivam Spi*„ *ritum Sanctum* esse cognovimus. Dominus se *fontem Spi*„ *ritus* esse dixit sic (*Jerem.* 2. *v.*13.) *Me dereliquerunt fon*„ *tem aquæ vivæ*; sic & *David* canit in Psal.35. v.10. dicens „ ad Dominum, quia *apud te est fons Vitæ*. Igitur præter „ Dominum ostende alium fontem vitæ, qui apud eum sit: „ Non enim dixit, *quoniam tu es fons vitæ*, *sed quia apud te* „ *fons vitæ est*. Est vero apud Deum, & est Filius fons exi„ stens Spiritus, de quo *Paulus ad Romanos* (8. 2.11.) . . . . „ Ita non alienum, sed proprium Patris esse eum dicit. „ Nam, cum professus fuisset quia *apud te est fons vitæ*, „ adjunxit, *in lumine tuo videbimus lumen*, idest in Filio tuo „ videbimus Spiritum &c. „ *S.Epiphanius lib.*3. *par.*1. *adv. hæres.* 74. *num.*7. „ Vita totus est Deus; ergo vita est e vita „ Filius: *ego enim*, inquit, *sum Veritas*, & *vita* (*Joann.* „ *Evang.*14. *v.*6.). At Spiritus Sanctus ab ambobus oritur, „ Spiritus e Spiritu; *Spiritus* quippe *Deus est* (*Joan. Evang.*4. „ *v.*24.): & *num.*8. Beatus Petrus Apostolus Ananiam sic al„ loquitur (*Act.*5. *v.*3.): *Cur tentavit vos Satanas mentiri Spi*„ *ritui Sancto*? Tum addit: *Non mentitus es hominibus*, *sed* „ *Deo*. Igitur Deus est a Patre, Filioque *procedens* Spiritus, „ cui mentiti sunt ii, qui de pretio subtraxerant „. Et *in Ancorato num.*8. „ Spiritus Sanctus unicus non Filii nomen, „ non appellationem Patris usurpans, sed Spiritus Sanctus

„ vocatus, nec alienus a Patre. Etenim Unigena ejus Filius „ ita loquitur„ (*Joan. Evang.*15. *&* 16.) *Spiritus Patris*: „ item, *qui a Patre procedit, & de meo accipiet*, ut ne alie- „ nus a Patre, vel Filio crederetur, sed ejusdem substantiæ, „ ejusdemque Divinitatis .... Spiritus enim Dei, ac Spi- „ ritus Patris, & Filii Spiritus: non compositione aliqua, „ quemadmodum in nobis anima, corpusque conjungitur, „ sed inter Patrem, & Filium medius, ex *Patre Filioque pro-* „ *cedens* „; eadem scilicet substantiali Processione. *S. etiam Cyrillus Alexand.*, *una cum Patribus Concilii Alexandrini in Epistola Synodica*, cujus testimonium (*Num.XVII.*) describemus, ex quo Spiritus Sanctus *Spiritus Veritatis*, hoc est *Verbi*, dicatur, ipsum proinde ab illo quoque, quemadmodum a Patre, procedere confirmat, & quidem substantialiter, ut declarant verba, quæ hic subduntur: „ Cum enim, „ Domino nostro ad cœlum assumpto, Spiritus S. stupenda „ prodigia per SS. Apostolorum manus ederet, illum glorifi- „ cavit. Creditum est enim (quod Deus secundum naturam „ esset) per Spiritum suum denuo illum operari. Propterea „ quoque Dominus ajebat (*Joann. Evang.* 16. v.14.) *quoniam* „ *de meo accipiet*, *& annuntiabit vobis*. Hoc tamen non ita „ accipiendum est, quasi Spiritus S. per quandam participa- „ tionem sapiens, aut potens sit: est enim ille numeris „ omnibus perfectus, nullisque penitus indigus; verum „ quia potentiæ, & sapientiæ Patris, hoc est Filii, Spiritus „ est, hinc & ipse quoque reipsa potentia, & sapientia est „ hoc autem est substantialiter ut a Patre, ita a Filio emanare. Qua ratione ab eodem *S.Cyrillo Orat. altera ad Reginas de recta fide cap.*34. *&* 53. Spiritus S. *æque proprius* Filii atque Dei Patris nuncupatur, qualis profecto non esset, nisi ab utroque substantialiter procederet: Et *lib. Thesauri in Assert.*34. expresse ait: „ Cum Spiritus S. sit mens Christi, „ omnia, quæ in ipso sunt, Discipulis eloquitur; non in „ propria, ac peculiari quadam voluntate, neque in aliena „ voluntate ejus, in quo, & ex quo est, congrediens, sed „ tamquam *ex essentia ipsius naturaliter procedens*, integram- „ que ipsius voluntatem, quemadmodum & operationem ha- „ bens „. S.Augustinus item lib.2. als.3. con.Maxim. cap.14. „ Satis sit ergo nobis, quia non est a seipso Spiritus S., sed

,, ab illo, a quo procedit. Et quia de utroque procedit, sicut „ jam ostendimus, unde & Spiritus Patris dictus est ubi legitur (*Rom.*8. 11.). Si autem Spiritus ejus, qui suscitavit „ Christum a mortuis, habitat in vobis, „ & Spiritus Filii ubi legitur (*Rom.*8. 9.), „ Qui autem Spiritum Christi non „ habet, hic non est ejus „. Non enim duo sunt Spiritus ,, Sancti, tanquam singuli singulorum, unus Patris, & alter Filii, sed unus potius Patris, & Filii „. (*Verbum Processionis ad exprimendum Dogma, de quo agimus, ab antiquissimis PP. etiam Græcis traditum est*). Animadversione speciali dignum esr, quod *S. Augustinus*, *Epiphanius*, *& Cyrillus Alexandrinus* in re, de qua agimus, ad exprimendam, quæ in SS. Scripturis quantum ad sensum invenitur, substantialem SpiritusS. a Filio quoque emanationem verbo etiam *procedendi* usi sunt. Quare ergo Græci a nobis Dissidentes sentire, & concinere nolunt nobiscum, dum Spiritum S. a Patre, & Filio procedere credimus, & confitemur, verbumque *Processionis* retinemus, quod antiquissimum in Ecclesia est, ac SS. PP. etiam Græcorum auctoritate, & consensione consecratum? Liceat autem nobis dicere cum *S. Athanasio in Epist. de Decr. Nicæn. Synod. num.*27 dum posteaquam ad defendendam vocem *Omousion* sententias retulit Theognosti, & SS. Dionysii Rom. Pontificis. ac Dionysii Alexand. „ En „ igitur (ait) nos quidem hanc sententiam a Patribus, ad Patres transisse demonstramus „.

XI. (*Spiritus S. sicut a Patre, ita & a Filio mittitur: proindeque a Patre Filioque procedit*). Præterea Spiritus S. in Sacr. Litteris, sicut Spiritus Patris, & Filii vocatur, ita & *a Patre, et a Filio mitti perhibetur*. Etenim in Evangelio S.Joannis (14. v.16. & 17.) legimus: „ Ego rogabo Patrem, ,, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in „ æternum, Spiritum Veritatis „; & *v.*26. „ Paraclitus autem Spiritus S., quem *mittet Pater* in nomine meo, ille „ vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque „ dixero vobis „: & (15. *v.*16.) „ Cum autem venerit Paraclitus, quem *Ego mittam vobis a Patre*, Spiritum Veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de „ me „: Et (16. *v.*7.) „ Expedit vobis ut ego vadam; Si

„ enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. Si autem „ abiero, *mittam Eum ad Vos* „. Quo pariter referuntur illa ejusdem *Domini* verba *apud S. Lucam* ( 24. v.49. ) : „ Et *Ego* „ *mitto promissum Patris mei in vos*. Vos autem sedete in Ci„ vitate, quo ad usque induamini virtute ex alto „. Ubi primo animadvertendus est ordo, quem Christus, de missione Spiritus S. loquens, servavit ex *S.Gregorio Nazianz. Orat.*37. *de Spir. S.* ajente : „ Paulatim ab ipso Jesu decla„ ratur, ut ipse quoque comperies, si animum diligentius „ adverteris. *Rogabo enim* inquit, & *alium Paraclitum mit*„ *tet vobis*, *Spiritum Veritatis* (*Joann.* 14. *v.* 16.). Quæ qui„ dem verba eo dixit, ne adversarius quispiam Dei esset, „ aut quasi ab alia quadam potestate sermonem facere vide„ retur. Postea, *mittet*, quidem ; cœterum, *in nomine meo*. „ Heic, omisso *rogandi* verbo, *mittendi* verbum retinuit. „ Mox, *mittam*, ut propriam auctoritatem ostenderet. Tum „ denique, *veniet*, quo verbo Spiritus potestas indicatur. „ Filius itaque mittit, sicut mittit & Pater : *Paraclitus*, „ *quem ego mittam* : *Paraclitus autem Spiritus S.*, *quem mit*„ *tet Pater in nomine meo* „. Observandum deinde est in allatis S.Scripturæ locis nomine Spiritus S. non *donum Ejusdem*, *sed ipsum Spiritum S.*, scilicet *tertiam SSmæ Trinitatis Personam* designari ; nam & mittendus, & venturus dicitur, *quem mittet Pater* ; *quem ego mittam* ; *cum venerit Paraclitus* ; *non veniet* ; *mittam eum* : quæ proprie nonnisi in Personam Spiritus S. cadunt, quæ mittenda, venturaque vere dicitur ratione charismatum, quæ in Apostolos erat effusura. Hinc *Bessarion. Archiepiscop. Nicænus in Synodo* Florentina Sess. XXV. cap.8. „ Quid tu ( inquit ) tandem intelligis, cum „ audis a Filio Spiritum mitti ? Perspicuum est enim, te „ vel invitum Personam illius intelligere . . . . . Etenim „ Christus . . . . eumdem se missurum dicit esse Spiritum, „ qui a Patre procedit ; neque alium se missurum quidem ait, „ alium vero Patrem esse missurum. *Cum enim*, inquit, *ve*„ *nerit Paraclitus*, *quem ego mittam vobis a Patre*, *Spiritum* „ *Veritatis*, *qui a Patre procedit*. Hoc autem vel Grammatici „ ipsi ita conceperint : cum venerit Paraclitus, qui a Pa„ tre procedit, quem ego mittam vobis : ut perspicuum

„ sit eundem ipsum ab illo missum iri, qui a Patre procedit. Si igitur Spiritus S. Persona a Patre procedit hanc & „ Filius mittit. Quod si gratiam minime subsistentem Filius „ mittit, etiam a Patre non Spiritus, sed gratia procedat „. (*Quoniam Spiritus S. etiam a Filio mittitur, ideo a Filio etiam procedit, quia Missiones in Divinis secundum originem, & emanationem sunt accipiendæ*). Jam vero Persona Divina mitti non potest, nisi ab Eo, a quo procedit; nam Missiones Divinarum Personarum, non secundum imperium, aut consilium, sed secundum emanationem, & originem accipiendæ sunt, ut tradit *S.Thomas Sum. Theol. par. I. qu.43. art.1. c., & art.5. per tot.*, & jampridem docuerat *S. Augustinus lib.IV. de Trinit. cap.20. num.27.* „ Si autem secundum „ hoc missus a Patre Filius dicitur, quia ille Pater est, ille „ Filius, nullo modo impedit, ut credamus, æqualem Pa„ tri esse Filium, & consubstantialem, & coæternum, & „ tamen a Patre missum Filium. Non quia ille major est, „ ille minor; sed quia ille Pater est, ille Filius; ille genitor, „ ille genitus; ille, a quo est, qui mittitur; ille qui est ab „ eo, qui mittit „; ac proinde Pater qui a nulla Persona procedit, a nullo mittitur. Cum igitur Spiritus S. aeque a Patre, & a Filio mittatur, aeque ab utroque originem ducat oportet. Originem autem juxta ipsos Græcos Spiritus S. ducit a Patre, quia ab eo æternaliter, ac substantialiter est: igitur quum a Filio etiam originem ducat, propterea æternaliter, ac substantialiter a b ipso est. Quamobrem *S.Athanasius in Epist.3. ad Serap. n.1.* ait: „ Qualem scimus proprie„ tatem esse Filii ad Patrem, eandem ad Filium habere Spi„ ritum S. comperiemus: & quemadmodum Filius dicit, „ *omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*, ita hæc omnia per „ Filium in Spiritu esse deprehendemus. Ac sicut Pater Fi„ lium his verbis indicat (*Matt.3. v.17.*) *Hic est Filius meus* „ *dilectus* . . . Ita quoque Filii est Spiritus: *Misit enim*, ait „ Apostolus (*Galat.4. v.6.*) *Spiritum Filii sui* . . . . Et quod „ mirabile est, quemadmodum Filius dicit, quæ mea sunt, „ Patris sunt; sic Patris est Spiritus S., qui dictus est esse „ Filii: siquidem ipse Filius ait (*Joann.15. v.26.*) *Cum ve„ nerit Paraclitus, quem ego mittam vobis* . . . . Paulus au„ tem scribit (*1. ad Corinth.2. v.11.*). *Nemo scit, quæ sunt*

„ *hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est; ita, & quæ* „ *Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei, qui est in ipso.* „ *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis* . . . . Proinde . . . . Spiritus S. . . . . ob proprietatem ejus ad Filium . . . . ex ipso datur omnibus, & quæ „ habet ille Filii sunt „. Et *in Epist.I. ad eumdem num.* 20., ex hoc etiam, quod Spiritus S. a Patre, & Filio mittatur, nemini fas esse illum a Patre, Filioque separare ostenderat, scribens: „ Cum ea sit in Sancta Trinitate conjunctio, & „ unitas, quis jam vel Filium a Patre, vel Spiritum a Filio, „ aut ab ipso Patre separare audeat? . . . . Quemadmodum „ Unigenitus est Filius, sic & Spiritus, qui a Filio datur, „ & mittitur, unus item est, non multi. Quia enim unus „ est Filius, qui & vivens est Verbum, unam quoque esse „ necesse est perfectam, & plenam, & sanctificantem, & „ illuminantem, viventem ejus efficaciam, & donum, quod „ ex Patre procedere dicitur, quia ex Verbo, quod ex Patre „ est, conceditur, effulget, & ab eodem mittitur, & datur, Filium quidem a Patre mitti verissimum est, ut ipse „ his verbis testatur; *sic Deus dilexit mundum, ut Filium* „ *suum Unigenitum mitteret* (*Joann.*3. *v.* 16.): Sic etiam Filius Spiritum mittit: *Si enim*, inquit, *ego abiero*, mittam Paraclitum (*Joann.*16. *v.*7.). Filius similiter Patrem „ honorat, ut ipse ait, *ego te clarificavi* (*Joann.* 17. *v.* 4.). „ Spiritus item Filium honorat, ut idem Filius dicit, *ille me* „ *clarificabit* (Joann.17. v.14.). Filius præterea dicit, *quæ* „ *audivi a Patre, hæc loquor in mundo* (Joann.8. v. 26.). „ Spiritus autem ex Filio quoque accipit; *de meo*, inquit, „ *accipiet, & annuntiabit vobis* (*Joann.*16. *v.* 15.). Rursus „ Filius in nomine Patris venit: ita etiam Spiritus S., inquit „ Filius, *quem mittet Pater in nomine meo* (Joan.14. v.26.) „. Sane Spiritum a Filio, ac Patre separare liceret ratione hujus missionis, si a Patre mitteretur eo quod substantialiter ab eo procederet, non vero eadem ratione mitteretur a Filio: hoc est, si substantialis Spiritus S. ab ipso quoque Filio, ut a Patre, emanatio missionis ejusdem Spiritus a Filio principium non esset. Quod perspicue demonstrat *S.Gaudentius* Brixiensis Episcopus, quem laudibus prosequuti sunt SS.Jo-

annes Chrysost. Epist. 184. ad eundem, & Augustinus Epist. ad Quod vult Deum, Tract. 14. de Promiss. Advent. Paracl. inquiens: ,, Quum nusquam desit Divinitas Trinitatis, dis- ,, pensatio salutis nostræ est, quod mittens prædicatur, & ,, missus. Aliter enim credere mens humana non cape- ,, tet, Patrem Patrem esse, & Filium Filium, & Spiri- ,, tum S. Spiritum S., nisi distinctionem disceret ex nuncu- ,, patione mittentis, & missi. Et rursus unam Divinitatem ,, non agnosceret Patris, & Filii, & Spiritus S. nisi missum ,, legeret a mittente nullatenus separari. Nam nec Pater, ut ,, prædictum est, missum deseruit Filium, nec Spiritus S., ,, qui dirigendus erat Apostolis, unquam Patri, & Filio de- ,, fuisse monstratur ,,.

XII. (*Spiritus S. etiam a Filio accipit; ergo a Filio etiam procedit*). At vero, ut mox audivimus, in Sacris litteris Spiritus S. non loquuturus a semetipso dicitur, diciturque accepturus a Filio, atque annuntiaturus, quod omnia, quæ sunt Patris, Filii quoque sint. *Christus* namque apud *S. Joann. 16. v. 13. seq.* inquit: ,, Cum . . . . venerit ille Spiritus Veri- ,, tatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur ,, a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur . . . Ille ,, me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vo- ,, bis. Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt; pro- ,, pterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vo- ,, bis ,,. Igitur Spiritus S. accepit a Filio, *de meo accipiet*, ac scientiam quidem accepit, *non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet loquetur*. Quomodo autem Spiritus S. a Filio scientiam accepit? Accipiendo nimirum ab ipso per substantialem Processionem ab æterno naturam divinam, non temporale aliquid, aut creatum. Quid enim in Deo temporale, aut creatum concipi potest? Igitur ,, non acci- ,, pit a Filio Spiritus S., quasi prius non habens, quia sic ,, esset mutabilis, & indigentis naturæ. Constat ergo quod ,, ab æterno accepit a Filio; nec potuit accipere aliquid, ,, quod non sit ejus essentia ab æterno ,,: ut ait *S. Thomas in quæst. Disput. de Potentia qu. 10. art. 4. c.* Quamobrem, sicut ex verbis *Joann. 15. v. 26.*, *qui a Patre procedit*, efficitur, Spiritum S. a Patre naturam divinam habere, ita ipsum Spiritum eandem naturam habere quoque a Filio educitur *ex*

*verbis cap. 16. v. 14.*, *de meo accipiet*. Quod utique *Filius ipse* indicat, subdens *ver. 15.* „ *omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet*. Nam si *omnia, quæ habet Pater, Filii sunt*, Filii quoque est vis spirandi activa, qua Spiritus S. a Patre substantialiter ab æterno procedit. Itaque *S. Athanasius Orat. 3. contr. Arian. n. 24.* „ Quæcumque (inquit) Spiritus habet, hæc a Filio habet „. (*Nihil obstat, quod Christus dixerit DE MEO ACCIPIET, non ACCEPIT, aut ACCIPIT; nec DE ME*). Neque vero ad hanc illationem (quæ ex laudatis verbis, *de meo accipiet*, sponte fluit) eludendam, reponi potest, Christum non dixisse, *accepit*, vel *accipit*, sed *accipiet*; nec dixisse, *accipiet de me*, sed *de meo*, scilicet de Patre, quia accipit essentiam a Patre, quæ communis est Filio. Nam tametsi Spiritus Sanctus a Filio acceptio sit æterna (quemadmodum ejusdem Spiritus a Patre Processio, de quo nihilominus non dicitur, qui *a Patre processit*, sed *qui a Patre procedit*) adhibetur tamen verbum *accipiet*, propterea quod omnes differentias temporum eminentissime includit æternitas; & præcipue, quia ibi de temporanea Spiritus S. missione ad Apostolos agitur, quæ cœteroquin æterna ejusdem Spiritus Processione a Patre & Filio nititur; siquidem, ut ostendimus (Num. XI.) Persona Divina non mittitur, nisi ab illa, a qua substantialiter procedit. Omittenda non sunt verba *S. Augustini Tract. 99. in Joann.* §. 5. „ Nec „ moveat, quod verbum futuri temporis positum est. „ Non enim dictum est, quæcumque audivit, aut quæcum- „ que audit, sed *quæcumque audiet*, loquetur. Illa quippe „ audientia sempiterna est, quia sempiterna scientia. In „ eo autem quod sempiternum est, sine initio, & sine fi- „ ne, cujuslibet temporis verbum ponatur, sive præte- „ riti, sive præsentis, sive futuri, non mendaciter po- „ nitur. Quamvis enim Natura illa immutabilis, & in- „ effabilis non recipiat *fuit*, & *erit*, sed tantum *est*, ipsa „ enim veraciter est, quia mutari non potest; & ideo illi „ tantum conveniat dicere, *Ego sum, qui sum*; & *dices* „ *Filiis Israel, qui est, misit me ad vos* (Exod. 3. v. 14.); „ tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus ver-

„ satur nostra mortalitas, & nostra mutabilitas, non mendaciter dicimus, & *fuit*, & *erit*, & *est*. *Fuit*, in præteritis sæculis; *est*, in præsentibus; *erit*, in futuris. *Fuit*, quia nunquam defuit; *erit*: quia nunquam deerit; *est*, quia semper est; Neque enim, velut qui jam non sit, cum præteritis occidit, aut cum præsentibus, velut qui non maneat, labitur; aut cum futuris, velut qui non fuerat, orietur. Proinde, cum secundum volumina temporum locutio humana variatur, qui per nulla deesse potuit, aut potest, aut poterit tempora, vera de illo dicuntur cujuslibet temporis verba. Semper itaque audit Spiritus Sanctus, quia semper scit; ergo & scivit, & scit, & sciet; ac per hoc & audivit, & audit, & audiet; quia sicut jam diximus, hoc est illi audire, quod scire; & scire illi hoc est, quod esse, Ab illo igitur audivit; audit, & audiet, a quo est; ab illo est, a quo procedit „. Ideo autem dixit, *de meo accipiet*, non *de me*, quia procedens de Filio Spiritus non totum accipit id, quod est in Filio; non enim accipit Filiationem, sed essentiam, ex qua, & filiatione, nostro concipiendi modo, constituitur Filius. Dixit autem, *de meo accipiet*, non ex eo quod a solo Patre, non etiam ab ipso Filio accipiat essentiam divinam, quæ communis est Patri, & Filio: Etenim, ex quo *Filius ipse* dicat *cit. cap. 16. v. 15. Joann. quæcumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet*, de necessitate concluditur, quod ipse Spiritus Sanctus essentiam divinam etiam ab eodem Filio accipiat. Si enim quæ sunt Patris, sunt etiam Filii, oportet quod auctoritas Patris, secundum quam est principium Spiritus Sancti, sit etiam Filii; & sicut Spiritus Sanctus accipit de eo, quod est Patris, a Patre, ita accipit de eo, quod est Filii, a Filio; nempe divinam essentiam Patri, Filioque communem: ut observat *S. Thomas Opusc. 1. con. error. Græcor. cap. 31.* „ quod Spiritus Sanctus accipit de eo, quod est Filii „. Cui quidem Patres Orientales præluxerunt. Etenim *S. Athanasius Orat. 3. con. Arian. num. 24.* inquit: „ Namque Filius non fit Spiritus particeps, ut sit in Patre, neque ipse Spiritum accipit, sed eum potius omnibus impertit. Nec item Spiritus Verbum cum Patre conjungit, sed potius Spiritus hoc a Verbo acci-

„ pit . . . . *Namque*, ut dictum est, *ipse dat Spiritui*, *&* „ *quæcumque Spiritus habet*, *hæc a Verbo habet* „ . Non haberet autem a Verbo, quæcumque habet, nisi ab eo naturam divinam acciperet. *S. Cyrillus Hierosolymit. Catech.* 16. *cap.* 24. „ Pater quidem dat Filio, & Filius communicat „ Spiritui Sancto. Ipse enim Jesus est, non ego, qui ait „ (*Matth.* 11. *v.* 27.), *omnia mihi tradita sunt a Patre meo*: „ & de Spiritu Sancto dicit (*Joann.* 16. *ver.* 53. *seq.*), *cum venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem veritatem*: „ *non enim loquetur a Semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur*; *&* *quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me* „ *glorificabit, quoniam ex meo accipiet, &* *annuntiabit vobis* „ . *S. Epiphanius in Ancorato num.* 11. Christus Patrem „ suum indicans testatur (*Matth.* 11. *v.* 27.), *nemo novit Patrem, nisi Filius*; *& nemo novit Filium, nisi Pater*. Ego „ vero nec istud pronunciare dubitem; nemo Spiritum novit, „ nisi Pater, & Filius a quo procedit, & a quo accipit „ . „ Et *num.* 67. „ Cum Christus a Patre profectus, Deus vi- „ delicet a Deo, credatur; & Dei Spiritus a Christo, ut- „ pote qui ab utroque procedit: id quod Christus ipse testa- „ tur, inquiens, *qui a Patre procedit*, & hic *de meo accipiet* „ . Sicut igitur ex verbis, *qui a Patre procedit*, sequitur Spiritum Sanctum a Patre habere ut sit Deus, ita ex verbis, *de meo accipiet*, sequitur hoc ipsum a Filio habere, atque adeo eum esse ex ambobus *per Processionem* Deum, veluti Christus ex Patre Deus est *per Generationem*. *Didymus de Spiritu Sancto*, quem librum S. Hieronymus latine reddidit, *num.* 37. „ Sed & ipse Filius . . . . interpretationem infe- „ rens, cum modo dixisset *de meo accipiet*, protinus subje- „ cit (*Joann.* 16. *v.* 15.) *omnia, quæ habet Pater, mea sunt*; „ *propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*: „ quodammodo loquens: licet a Patre procedat Spiritus Ve- „ ritatis, & det Deus Spiritum Sanctum petentibus se, ta- „ men, quia omnia, quæ habet Pater, mea sunt, & ipse „ Spiritus Patris meus est, & de meo accipiet „ . *S. Cyrillus Alexand. lib.* 11. *in Joann. cap.* 1. ait „ Quoniam Spiritus „ Sanctus consubstantialis est Filio, & modo Deo congruen- „ ti per ipsum procedit, omnem ejus perfectissimam in „ omnibus operandi vim, atque efficaciam habens, idcirco „ dicit, *quia de meo accipiet* „ .

XIII. ( *Ex eo quod Filius operatur in Spiritu Sancto, vel per Spiritum Sanctum, ut ex SS. Scripturis; sequitur, quod Spiritus Sanctus a Filio quoque procedat* ). Insuper, ut animadvertit *S. Thomas Opusc.* 2. *con. error. Græcor.c.*31., habetur ex auctoritate Sac. Scripturæ, quod *Filius operatur in Spiritu Sancto, vel per Spiritum Sanctum*. Dicit enim *Apostolus ad Rom.* 15. *v.* 18. *seq.* „ Non enim audeo aliquid loqui eorum, „ quæ per me non efficit Christus . . . . in virtute Spiritus „ Sancti „. *Et* 1. *ad Corint.* 2. *v.* 10. *seq.* „ . Nobis autem „ revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia „ scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum „ scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in „ ipso est? Ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spi„ ritus Dei „; qui, ut demonstratum est ( Num. X. ), est æque Spiritus Patris, & Filii. Ex hoc autem quod Filius operatur per Spiritum Sanctum, ex necessitate concluditur, quod Spiritus Sanctus sit a Filio. „ Potest enim dici aliquis „ per aliquid operari, dupliciter. Uno modo, ex eo quod, „ id per quod operatur, est sibi principium, & causa ope„ randi sive efficiens & movens, sicut dicitur balivus opera„ ri per regem: sive causa formalis, sicut dicitur homo per „ artem operari. Alio modo, ita, quod id, per quod ope„ ratur, sit causa operato, & non operanti; sicut cum di„ citur Rex operari per balivum, & artifex operari per in„ strumentum: Et tunc oportet, quod e contrario operans „ sit principium operandi ei, per quod operatur, sicut Rex „ balivo, et artifex instrumento. Cum autem dicitur Filius „ per Spiritum Sanctum operari, non potest intelligi, quod „ Spiritus Sanctus sit principium operandi Filio, quia Filius „ a Spiritu Sancto non accipit. Relinquitur ergo quod Filius „ sit principium operandi Spiritui Sancto, quod quidem es„ se non potest, nisi per hoc quod dat ei virtutem operati„ vam. Non autem dat ei tanquam prius non habenti: sic „ enim daret ei tanquam indigenti, & sequeretur quod Spi„ ritus Sanctus esset Filio minor. Relinquitur ergo, quod „ ei ab æterno dederit. Nec ali ud est virtus operativa Spiri„ tus Sancti, quam ejus essentia, cum Spiritus Sanctus sit „ simplex, sicut & Pater. Relinquitur ergo, quod ab æter„ no Filius essentiam divinam Spiritui Sancto dederit „. Cum

quibus omnibus concinit *S. Cyrillus Alexand. Thesaur. Assert.* 34. inquiens: „ Si Christus per Paulum signa operatur in „ virtute Spiritus Sancti, ergo vis quædam naturalis, ac „ vivens, atque, ut ita dicam, qualitas Deitatis Filii est „ Spiritus Sanctus „.

XIV. ( *Quoniam Pater, & Filius veniunt ad justum, & mansionem apud eum faciunt in Spiritu Sancto consequens est, Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere* ). Ex qua *S. Thomæ* subtilissima æque, ac solidissima demonstratione aliud argumentum, ipsumque firmissimum, siquidem Sac. Scripturæ testimoniis nixum, ad confirmandam veritatem Substantialis Processionis Spiritus Sancti ut a Patre, ita quoque a Filio, conficitur. Nam *Christus Dominus* ( *Joann.* 14. *v.* 23. ) inquit: „ Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, „ & mansionem apud eum faciemus „. Enim vero Deus ad animam justi venit, & eam inhabitat, quia illa templum Dei est: siquidem „ Vos . . . . estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus „ ait *S. Paulus* 2. *ad Corint.* 6. *v.* 16. At non solus Pater venit ad animam justi, eamque inhabitat, sed & Filius: non enim ait Christus, *Pater meus ad eum veniet &c.*, sed. *ad eum veniemus &c.*, Pater scilicet, & Ego: Quod *S. Gregorius Nazianz.* animadvertit *in fin. Orat.* 24. *in Ægyptior. adven. n.* 20. „ Cum autem illa ( verba legeris ) *ad* „ *eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, Personarum distinctionem cogites „. Quomodo autem ad animam justi veniunt Pater, & Filius, & mansionem apud eam faciunt? Utique in Spiritu Sancto, teste *Apostolo* dicente 1. *ad Corint* 6. *v.* 19.: „ An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem „ habetis a Deo? Igitur si Pater venit ad justum in Spiritu Sancto, quia Spiritus Sanctus ab eo procedit, utique & Filius venit in Spiritu Sancto ad justum, quia Spiritus Sanctus etiam ab ipso procedit; paullo superius enim ( Num. XIII. ) cum S. Thoma probavimus, Filium operari in Spiritu Sancto, vel per Spiritum Sanctum, dando Spiritui Sancto ab æterno virtutem operativam, *quæ nil aliud est, quam ejus essentia, cum Spiritus Sanctus sit simplex sicut & Pater*. Atque hoc modo *S. Augustinus con. Maximin.* ( ut sup. num. IX. videre est)

interpretatur etiam alia Christi verba, *accipite Spiritum Sanctum*. Id *S. Cyrillus Alexand. lib.* 11. *in Joann. init. cap.* 2. confirmat „ Nullo prorsus modo ( inquiens ) Filius a Patre „ differt, nisi dumtaxat, quia Pater est . . . . . *mea enim* „ *omnia tua sunt, & tua mea* . . . ( *Joann.* 17. *v.* 10. ). Non „ enim aliter in creatura Deus inhabitat, quam per Filium „ in Spiritu. At proprius quoque Unigeniti est hic Spiritus; „ consubstantialis enim est Patri „: *In libro autem de S. Trinitate ad Hermiam Presbyt. Dial.* 5. *in fin.*: „ Præclaram spem habemus, Hermia, & certo credimus, omnis boni participationem a Deo obventuram iis, qui rectam vitam instituerint . . . . Horum autem omnium distributor, & largitor „ erit Filius. Omnia quippe a Patre in nos per ipsum in Spi„ritu: non utique quod ministratoriam in hoc præstet ope„ram; sed quod potius cum potestate distribuat, tanquam „ Filius, quæ sunt Patris, & sit Deus omnia in omnibus, „ sanctificatio nimirum, & sapientia, & vita: „ Et Dial. 7. in Artic. de Spir. quod *Deus sit, & ex Deo secundum naturam*: „ Illa divinitus inspirata Scriptura aperte, & exacte Deo „ unit Spiritum suum, nec aliter futuram in nobis Dei par„ticipationem, quam per Sanctum Spiritum, palam edo„cet . . . . *Veniemus* inquit, *Ego & Pater, & mansionem* „ *apud eum faciemus* ( *Joann.* 14. *v.* 23. ) Et *in hoc cognoscimus*, „ *quod in nobis est, ex Spiritu, quem dedit nobis* ( *Joann.* 4. „ *v.* 13. ). Incolam enim, & hospitem naturalem, & ve„rum Deum habemus, non alienum, & substantialiter ab „ ipso distinctum Spiritum accipientes, sed eum, qui ex „ ipso, & in ipso, & proprius est ejus: „ nempe Patris, „ & Filii, quia Pater & Filius ( dicit Cyrillus ) veniunt ad nos per Spiritum Sanctum. Quo referuntur verba *S. Athanasii Epist.* 1. *ad Serap. n.* 20., ubi ait, divinam Scripturam nobis quædam exempla subministrare, ut credamus „ Vere „ esse sanctificationem ex Patre per Filium in Spiritu San„cto productam „. Et *num.* 30. „ Gratia enim, & donum, „ quod in Trinitate datur, datur a Patre per Filium in Spi„tu Sancto. Nam quemadmodum ex Patre per Filium datur „ gratia, ita in nobis fieri non potest doni communicatio, „ nisi in Spiritu Sancto. Hujus siquidem participes effecti, „ Patris charitatem, Filii gratiam, & ipsius Spiritus com„municationem habemus „.

XV. (*Recapitulatio praecedentium ex S. Scriptura*). Cum igitur, PP. etiam Orientalibus apertissime profiteutibus, ex quo Filius unum cum Patre sit, ejusque sint omnia, quæ Pater habet: & Spiritus Sanctus sit Spiritus ut Patris, ita & Filii, & ab utroque mittatur; & ulterius quia a Patre accipiendo a Patre procedit, eadem ratione a Filio procedit, quia a Filio accipit: ex quo Filius etiam operatur in Spiritu Sancto, vel per Spiritum Sanctum, ac Pater, & Filius veniunt ad justum, & mansionem apud eum faciunt in Spiritu Sancto, illud consequatur, Spiritum Sanctum, qui procedit a Patre, a Filio quoque procedere: Quumque, nemine discrepante, Spiritus Sanctus a Patre *substantialiter* procedat, omnino patet, *substantialem* ejusdem Spiritus Sancti Processionem etiam a Filio, licet non *per verba*, *per sensum* tamen in S. Scriptura inveniri: quod satis est, ut eam pro Fidei dogmate habeamus, quemadmodum habemus Filii cum Patre consubstantialitatem, propterea quod hæc etsi non *per verba*, *per sensum* tamen *in eadem Sancta Scriptura* reperiatur: præsertim cum ad verbum Dei scriptum, verbum traditum accedat, ut *ex Capite proximo* constabit. Coronide huic Capiti præbeat, & quodammodo Epitomen S. Augustini gravissima, verissimaque doctrina. Quærit S.D. (Serm. 71. in Matth. cap. 12. vers. 32., alis Serm. 11. de Verb. Domini), quod sit verbum, seu blasphemia contra Spiritum Sanctum, quod dicenti non remittetur in hoc seculo, neque in futuro; aitque num. 18.: „ Nostis, charissimi, in illa „ invisibili, & incorruptibili Trinitate, quam fides nostra, & „ Catholica Ecclesia tenet, & prædicat, Deum Patrem non „ Spiritus Sancti Patrem esse, sed Filii, & Deum Filium non „ Spiritus Sancti Filium esse, sed Patris; Deum autem Spi- „ ritum Sanctum non solius Patris, aut solius esse Filii Spi- „ ritum, sed Patris, & Filii . . . . . Ac per hoc pro captu „ nostro . . . . insinuatur nobis in Patre auctoritas, in Fi- „ lio nativitas, *in Spiritu Sancto Patris, Filiique communi-* „ *tas*, in tribus æqualitas. Quod ergo *commune est Patri, &* „ *Filio*, per hoc nos voluerunt habere communionem & in- „ ter nos, & secum; ac per illud donum nos colligere in „ unum *quod ambo habent unum, hoc est, per Spiritum San-* „ *ctum Deum, & donum Dei*. In hoc enim reconciliamur

„ Divinitati, eaque delectamur . . . . . Charitas porro diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis (Rom. 5. v. 5.). Et quia peccatis abalienabamur a possessione verorum bonorum, charitas cooperit multitudinem peccatorum. Est ergo Pater Filio Veritati origo Verax, & Filius de Veraci Patre orta Veritas, & *Spiritus Sanctus a Patre bono, & Filio bono effusa bonitas* „ & §. 19.: „ Jam vero, quod *Dominus Jesus sic in Spiritu Sancto peccata dimittit, quemadmodum in Spiritu Sancto demones ejicit*, hinc intelligi potest, quod . . . . . cum dixisset Discipulis suis: „ Accipite Spiritum Sanctum „ continuò subjecit „ si cui dimiseritis . . . . Nam et illa regeneratio ubi fit omnium præteritorum remissio peccatorum, in Spiritu Sancto fit, dicente Domino (Joan. 3. v. 5.) : „ Nisi quis renatus fuerit et cet.„ ; et §. 27.: „ Quæ cum ita sint, hinc est, quod *Dominus Jesus in Spiritu Sancto ejicit demones*. Neque enim et solus hoc implere non poterat, atque . . . . adjutorium, tanquam huic operi non sufficiens assumebat, sed spiritum divisum in semetipsum eo Spiritu congruebat expelli, *quem Pater, & Filius non divisi in semetipsis communiter habent* „ ; et §. 29. : „ Quod autem sit ipse Spiritus Patris, ipse Filius dicit (Joann. 15. 26., Matth. 10. 20.). . . . . . *Quod vero ipse sit & Spiritus Filii* Apostolus dicit (Galat. 4. 6. Rom. 8. 9.) . , . . . . Ad quem ergo in Trinitate pertineret hujus communio societatis, nisi *ad eum Spiritum, qui est Patri, Filioque communis?* „ et §, 33. : „ Ideo remissio peccatorum . . . . ideo societas unitatis Ecclesiæ Dei, extra quam non fit ipsa remissio peccatorum, tanquam proprium opus est Spiritus Sancti, Patre sane, et Filio cooperantibus, *quia societas est quodammodo Patris, & Filii ipse Spiritus Sanctus*. Nam Pater non communiter habetur Pater a Filio, et Spiritu Sancto, quia non est Pater amborum: Et Filius non communiter habetur Filius a Patre, et Spiritu Sancto, quia non est Filius amborum; *Spiritus autem S. communiter habetur a Patre, & Filio, quia Spiritus est unus duorum* „.

# CAPUT V.

*Ex verbo Dei tradito demonstratur Spiritum Sanctum a Filio quoque substantialiter procedere.*

XVI. ( *In quibus nam contineatur verbum Dei traditum* ). Verbum Dei traditum ex perpetua Ecclesiæ doctrina proposita in Romanorum Pontificum, et Conciliorum Generalium Romanorum Pontificum auctoritate confirmatorum definitionibus; ex Professionibus, et Regulis Fidei Catholicæ a Summis Pontificibus, vel ab universa Ecclesia Catholica probatis; et ex Patrum Ecclesiæ Operibus eruitur. Ut igitur demonstremus, *ex verbo Dei tradito*, Spiritum Sanctum a Filio quoque substantialiter procedere, hujuscemodi Professiones, Regulasque Fidei, ac Definitiones in Generalibus Conciliis, quibus Romani Pontifices præfuerunt, editas prius afferemus, deinde SS. Patrum sententias relaturi, ex quibus appare, *Dogma de substantiali Spiritus Sancti a Filio etiam Processione*, ut Dogma a Deo revelatum, a Catholicis omnibus firmiter tenendum, et credendum esse.

XVII. ( *Synodi Nationales, & Summi Pontifices Processionem Spiritus Sancti a Patre, & Filio credere professæ sunt. Concilium Romanum II. anni* 372.) Sane in *Concilio Romano* II. *anni Domini* 372., in quo Arianus Auxentius Ecclesiæ Mediolanensis invasor condemnatus fuit, testibus S. Athanasio, aliisque; *Præside S. Damaso Summo Pontifice in Capit. de Explanat. fidei* hæc habentur: „ Spiritus Sanctus non est Patris „ tantummodo, aut Filii tantummodo Spiritus, sed Patris, „ et Filii Spiritus. Scriptum est enim ( *Joann.* 2. *v.* 25. ): *Si* „ *quis dilexerit mundum, non est Spiritus Patris in illo*. Item „ scriptum est ( *Rom.* 8. *v.* 9. ): *Qui autem Spiritum Christi* „ *non habet, hic non est ejus*. Nominato itaque Patre, et Fi„ lio, intelligitur Spiritus Sanctus, de quo ipse Filius in „ Evangelio dicit ( *Joann.* 15. *v.* 26. ): *qui a Patre procedit*: „ et ( *Joann.* 16. *v.* 14. ) *de meo accipiet, & annuntiabit* „ *vobis* „.

( *Synodus Alexandrina Præside S. Cyrillo anni* 430. ) Præterea *Concilium ex Ægypti Provincia Alexandriæ congregatum anno* 430., *Præside S. Cyrillo Alexandrino, in Epistola ad*

*Nestorium num.* 10. exponens, quomodo accipienda sint *illa Christi Domini verba* apud S. Joannem ( 16. *v.* 14. ) *ille me clarificabit*; „ Cœterum ( inquit ) cum de Spiritu Sancto „ ait, *ille me clarificabit*, nisi errare velimus, Christum „ Dei Filium, veluti gloriæ, quæ aliunde proficiscitur, in„ digum, a Spiritu Sancto glorificatum nequaquam dicemus: „ siquidem Spiritus illius neque illo melior, neque illo „ rursum sublimior est. Verum quod ad Divinitatis suæ si„ gnificationem suo subinde Spiritu in insignium operum „ perpetratione uteretur, ob id se ab illo glorificari profi„ tebatur; perinde ac si quis nostrum de sua fortitudine, „ aut cujusvis eei scientia dicat; mea me virtus, aut scien„ tia glorificabit. Nam etsi Spiritus in propria Persona sub„ sistat, eatenusque in se ipso consideretur quatenus Spiri„ tus est, & non Filius, non est tamen ab eo alienus; „ quandoquidem *Spiritus Veritatis* nominatur: *Christus* au„ tem *Veritas* est, & *proinde queque ab illo, atque a Deo Pa„ tre procedit* „. Et *anathemat.* 9. „ Si quis unum Dominum „ nostrum Jesum Christum a Spiritu Sancto tamquam virtu„ te a se aliena glorificatum dixerit, efficaciamque, qua „ contra immundos Spiritus uteretur, & divina inter homi„ nes miracula operaretur, ab ipso eodem accepisse prædi„ caverit, & *non proprium, naturalemque illius esse Spiri„ tum*, per quem divina signa edidit, anathema sit „. Prædicta vero Epistola non solum a Nationali Concilio illo scripta, sed etiam in duobus Conciliis Generalibus in Oriente celebratis, *Ephesino I.* & *Constantinopolitano II.*, summa Patrum approbatione recitata est, atque in actis inserta: nempe *Ephesini Part.I. cap.*26., & *Constantinopolitani II. Collat.*6. Liquet proinde Catholicam Ecclesiam *Dogma Processionis Spiritus Sancti a Patre Filioque*, per Apostolos a Christo accepisse: Ipsa enim non aliam fidem, quam fidem sibi ab initio divinitus traditam, professa unquam est, nec profitebitur.

( *Regula Fidei Concilii Hispanici anni* 447. ). In *Regula Fidei Catholicæ* contra omnes hæreses, & quam maxime contra Priscillianos ( alias Priscillianistas ), quam Episcopi Tarraconenses, Lusitani, Baetici in *Concilio Hispanico ann.* 447. ediderunt, & transmiserunt *cum præcepto Papæ Urbis*

*Romæ S. Leonis I. cognomento Magni, ad Balconium Episcopum Gallecia*, hæc habentur: „ Credimus in unum Deum „ Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum . . . . Patrem „ autem non esse ipsum Filium, sed habere Filium, qui „ Pater non sit; Filium non esse Patrem, sed Filium Dei „ de Patris esse natura; Spiritum quoque Paracletum esse, „ qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed a *Patre, Filioque* „ *procedens* „.

(*Declaratio Fidei a S. Hormisda PP. ad Græcos missa ann.* 521.) *S. Hormisda PP.* ad Consulta Epiphanii Patriarchæ Constantinopolitani, & *Justini* Orientis Imperatoris 8. *Kal. Aprilis an.* 521. respondit: „ Proprium est Patris, ut „ generaret Filium: proprium Filii Dei, ut de Patre Patri „ nasceretur æqualis; proprium Spiritus Sancti, ut de Pa- „ tre, & de Filio procederet sub una substanria Deita- „ tis „.

(*Synodus Toletana* III. *an.* 589.) *In Synodo Toletana III. ann.* 589. Gothi, Arianæ hæreseos perfidia abjurata, Orthodoxam Fidem professi sunt. In ea Reccaredus Rex Fidei Professionem emisit, in qua præter alia confessus est, *Spiritum Sanctum a Patre, & Filio procedere*, & cum Patre, & Filio unius esse substantiæ: Nicæni Symboli formula recitata fuit; prolatumque Symbolum Constantinopolitanum cum additione, scilicet: „ Credimus & in Spiritum Sanctum „ Dominum, & vivificatorem, *ex Patre, & Filio procedentem*, cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum „ qui loquutus est per Prophetas „. Canone autem III. anathema dicitur contra eum, „ quicumque Spiritum Sanctum „ non credit, aut non crediderit *a Patre & Filio procedere*, „ eumque non dixerit coæternum esse Patri, & Filio, & „ coæqualem „.

(*Professio Fidei S. Gregorii Magni PP. an.*590.) *S. Gregorius Magnus, cognomine Dialogus*, (de quo *ad diem XII. Martii Menologium Græcorum* vitæ Sanctitatem, & Miraculorum donum celebrat; & *Menaea* testantur ab eo conscriptam fuisse Missam illam, qua Græci in Quadragesima jejuniorum tempore utuntur), *in Professione Fidei*, quam, inito Summo Pontificatu, *an.* 590. recitavit: „ Credo (ait) in „ unum Deum omnipotentem, Patrem, & Filium, & Spi-

„ ritum Sanctum tres Personas, unam substantiam; Patrem „ ingenitum, Filium genitum, Spiritum vero Sanctum nec „ genitum nec ingenitum, sed coaeternum *de Patre, & Filio procedentem* „.

(*Professio Fidei Synodi Toletanæ IV. Præside S. Isidoro Hispalensi an.* 633.) *In Professione Fidei Concilii Toletani IV. ex Episcopis* 62. *Hispaniæ, & Galliæ collectum ann.* 633., & cui S. Isidorus Hispalensis Episcopus præfuit, legimus „: Spiritum vero Sanctum nec creatum, nec genitum, sed *procedentem ex Patre, & Filio* profitemur.

(*Aliæ novem Hispanicæ Synodi ab an.*653. *ad* 694.) Hanc additionem retinuere, ac propagarunt Hispanicæ sequiorum temporum Synodi, Toletana VIII. anni 653. Capitulo I., Emeriteusis an.666. Cap. I., Bracarensis IV. an.675. Cap. I. Toletanæ XII. an. 681. Cap. I., XIII. an. 683. in Symbolo; XV. an.688. in Symbol., & XVII. an.694. in Symbol. Præter Symbolum autem Constantinopolitanum aliæ leguntur instar Symboli Formulæ cum additamento Particulæ *Filioque* in Synodo Toletana XI. an. 675. in Præfatione Canonis; & in Toletana XVI. an.693. in Symbol.

(*Concilium Lateranense anni* 649. *sub S. Martino I. PP.*) Illustre est Ecclesiasticæ Historiæ monumentum *Synodus Lateranensis an.* 649. coacta a *S. Martino I. Pontifice*, cujus Apostolicam fortitudinem *Menologium Græcorum* magnopere commendat ad diem 15. Septembris; de quo etiam *Menaea* ad diem 13. Aprilis hæc habent: „ Orthodoxæ doctrinæ Ma„ gister, & moderator gloriosus; Sacer divinorum dogma„ tum Coriphæus; mendacii verissimus sine errore condem„ nator „. In hac Synodo, *Actione IV.*, inter coetera relatus est IX. S. Cyrilli Alexandrini Anathematismus, in quo (ut superius diximus) substantialis Spiritus Sancti a Patre & Filio Processio expresse traditur: ac insuper editus Canon 19., in quo anathematizantur, qui ejusdem S. Cyrilli doctrinam vel calumniantur, vel non suscipiunt.

(*Concilium Anglicum, seu Hæthfeldense an.* 680.) *Synodus Anglica, seu Hæthfeldensis a Theodoro Cantuariensi Archiepiscopo an.* 680. *congregata* (apud Bedam) Fidei Professionem uno omnium Patrum consensu edidit, in qua Spiritus Sancti a Patre, & Filio processionem expresse confitetur;

ac ulterius testatur se subscribere quinque Generalibus Synodis, & etiam Romanæ sub S. Martino I. celebratæ, cujus acta jussu S. Papæ Agathonis tunc temporis in Angliam delata fuerant.

(*Professio Fidei S. Leonis II. PP. an.* 682.) S. Leo II. Prædecessorum suorum vestigia sequens post suam Ordinationem anno 682. peractam, eam emisit Fidei Professionem, ex antiquissimo Codice editam a Garnerio, in qua Catholicam, Apostolicamque doctrinam professus est, ac docuit, inter coetera inquiens „ Spiritum Sanctum nec genitum, nec „ ingenitum, sed de Patre, Filioque procedentem „.

(*Professio Fidei S. Gregorii II. PP. an.* 715.) Concinit cum S. Leone S. Gregorius II. in Formula Fidei, quam protulit pariter post suam Ordinationem anno 715. (ex eodem Garnerio, qui eam publici juris fecit). In ea enim habetur, quod: „ Eumdem (Spiritum Sanctum) Dei Filius *de suo ac-* „ *cipere* perhibet; *& in nomine suo mitti a Patre* Spiritum „ Sanctum manifestat; & insufflando discipulis: *Accipite* „ *Spiritum Sanctum*, utpote de se procedentem, annuntiat; „ & in Cœlos ascendens, ut promiserat, Paraclitum ad „ discipulos mittit „. En quomodo SSmus Pontifex repulit hæresim Macedonii, & Eunomii negantium Spiritum Sanctum a Patre procedere; unaque simul immaculatam fidem tradens, eamque ex Sacris Paginis confirmans, prædamnavit hæresim eorum, qui futuri erant, expressis verbis dicentium, a Patre solo, & non etiam a Filio Spiritum Sanctum procedere.

(*Confessio Fidei S. Tharasii Patriarchæ*) *S. Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus in Confessione Fidei inserta Epistolæ missæ ad Summos Sacerdotes, & Sacerdotes Antiochiæ, Alexandriæ, & S. Civitatis, Act. III. Concilii Nicæni II. Generalis VII. an.* 787. *summa Patrum approbatione recitatæ*: „ Credo . . . . & in Spiritum Sanctum Dominum, & vivi- „ ficantem, *ex Patre per Filium procedentem* „,

(*Hadrianus I. PP. commendat, & probat eamdem S. Tharasii Fidei Professionem*) Hanc S. Tharasii Professionem Fidei *Hadrianus I. Rom. Pontifex Epistola ad Carolum Magnum* Imperatorem probatam sibi esse declaravit. Siquidem, postquam dixit „ se olitanam traditionem tenere, & priscam

„ Prædecessorum suorum SSmorum Pontificum sequi doctri- „ nam, & rectæ fidei traditionem modis omnibus vindica- „ re „ subdit: „ Hoc dogma, ( nempe Processionis substantialis Spiritus Sancti a Patre per Filium ) „ Tharasius „ non per se explanavit, sed per doctrinam SSmorum Pa- „ truum confessus est „. Quod deinde confirmat allatis plurimorum Patrum testimoniis tum Græcorum, tum Latinorum.

( *Concilium Forojuliense an.* 791. ) *Concilium Forojuliense an.* 791. declarat, quod „ propter eos ( videlicet hæreticos ), „ qui sussurrant Spiritum Sanctum solum esse Patris, & a „ solo procedere Patre, additum est, *qui ex Patre, Filioque* „ *procedit* „.

( *Hadrianus I. PP. an.* 794. ) Memoratus autem Romanus Pontifex *Hadrianus I. Litteris an.* 794. *ad Episcopos Galliciæ, & Hispaniarum* dedit, in quibus hæc inter cætera habet: „ Super quem putatis Spiritum Sanctum descendisse in „ specie Columbæ? Super Deum, an super hominem? an „ propter unam Personam Christi, an super Dei, hominis- „ que Filium? Spiritus Sanctus cum sit inseparabiliter am- „ borum, Patris videlicet, & Filii, & a Patre, Filioque es- „ sentialiter procedat, quo pacto credi potest super Deum „ descendisse, a quo nunquam recesserat, & a quo ineffa- „ biliter semper procedit? Dei enim Filius, secundum id „ quod Deus est, Sanctum Spiritum cum Patre nunquam a „ se recedente inenarrabili modo mittit; & secundum id, „ quod homo est, super se venientem suscepit „.

( *Concil. Francofordien. an.* 794. ) *In Libello* autem, qui *Actis Conc. Francofordiensis ejusdem ann.* 794. insertus invenitur, hæc verba sunt „ Quia Spiritus Sanctus est, & a Patre, „ Filioque procedit „.

( *Symbolum Orthodoxæ Fidei a S. Leone III. Ecclesiis Orientalibus missum an.* 809. ) *S. Leo III. in Symbolo Orthodoxæ Fidei omnibus Ecclesiis Orientalibus misso ann.* 809. „ Cre- „ dimus . . . . Spiritum S. *a Patre, & Filio æqualiter proce-* „ *dentem* „.

( *Concil. Arelaten. VI. an.* 813. ) *Concilium Arelatense VI. an.* 813. *Can.* 1. „ Spiritum Sanctum nec creatum, nec geni- „ tum, sed procedentem a Patre, & Filio profitetur „.

(*Barense Concilium an.* 1098.) *In Barensi Concilio*, quod *anno* 1908. celebravit, cuique præfuit Urbanus II. PP., ejus jussu S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus doctissime de Processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio disputavit, & Græcorum dissidentium errorem protrivit; ut videre est apud Eadmerum, & Willelmum Malmesburiensem. Disputationes S. Anselmi in Compendium redactæ sunt; quod Compendium „ De Processione Spiritus Sancti contra Græcos „ inscribitur. De eodem Barensi Concilio legi poterit *Lupus Protospata in Chronico*; & *Anonymus Baren. in Chronico*.

XVIII. (*Concilia Oecumenica hoc idem dogma tradiderunt. Concil. Gener. VIII. an.* 859.) Celebravit Hadrianus II. PP., missis Constantinopolim Legatis, an. 869. Oecumenicam VIII. Synodum, in qua „ Spiritum Sanctum a Patre, & Filio Substantialiter procedere „, damnata Photii doctrina, definitum est. Hoc Generale Concilium Romani Pontifices se recipere profitebantur in Fidei Professione, quam in sua Ordinatione edebant, ut est apud Garnerium in Lib. Diur. Rom. Pontif.. Istius Concilii Oecumenicitatem in Opusculo nostro: „ De Primatu Romani Pontificis &c. „ invicte vindicamus, rejectis Latrociniis a Photio collectis.

(*Lateranense IV. an.* 1215.) Profundo animi obsequio excipienda etiam est *Oecumenica Lateranensis IV. Synodus sub Innocentio III. an.* 1215. habita, quæ merito *Magna* nuncupatur; siquidem illi interfuerunt Episcopi 412., inter quos Patriarchæ Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus per se; Alexandrinus, cujus Sedes in Caliphæ ditione erat, per Germanum Diaconum; & Antiochenus, gravi morbo decumbens, per Episcopum Antheradensem; Primates, & Metropolitæ 77., Abbates, ac Priores ultra 800., Prælatorumque absentium, & Capitulorum Procuratores fere innumeri; demum Imperatorum Orientis, & Occidentis, Regumque Galliæ, Angliæ, Hungariæ, Hierosolymorum, Cypri, & Aragoniæ Oratores. In ea Synodo *Capitulo I. de Fide Catholica*, sequentia verba leguntur: „ Firmiter credimus, & „ simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus „ .... Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus tres quidem „ Personæ, sed una essentia, substantia, seu natura sim„ plex omnino, Pater a nullo, Filius autem a solo Patre,

„ ac Spiritus Sanctus ab utroque pariter, absque initio sem-
„ per, & fine. Pater generans, Filius nascens, & Spiritus
„ Sanctus procedens „. Et Capitulo II. *de errore Abbatis Joachim*: „ Pater, & Filius habent eamdem substantiam: &
„ sic eadem res est Pater, & Filius, nec non & *Spiritus*
„ *Sanctus ab utroque procedens* „. Hæc igitur Fides Catholica est, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

XIX. (*Græci in Concilio Generali Lugdunensi II. an.* 1274. *hoc idem dogma professi sunt*) Hanc vero eandem fidem *Græci quoque professi sunt in Oecumenica Synodo Lugdunensi II. an.* 1274. *habita a B. Gregorio X. Summo Pontifice*. Etenim *eo anno, mense Junio, die XXIV.* „ Nuncii Imperatoris Græco-
„ rum venerunt, quorum nomina sunt in Littera missa Pa-
„ pæ .... Qui ab eodem Domino Papa stante in aula ejus-
„ dem Palatii cum omnibus Cardinalibus, & multis Præla-
„ tis, ad pacis osculum honorifice sunt recepti; & eis re-
„ præsentaverunt *Litteras Imperatoris Græcorum bullatas Bul-*
„ *la aurea*, *& alias Litteras Prælatorum*; & dixerunt in præ-
„ sentia Domini Papæ, quod veniebant ad omnimodam obe-
„ dientiam S. Romanæ Ecclesiæ, & ad recognitionem Fidei,
„ quam ipsa Ecclesia tenet, & Primatum ipsius .... Eo-
„ dem anno, & mense, die XXVIII., in Festo SS. Aposto-
„ lorum Petri & Pauli, Dominus Papa celebravit Missam,
„ .... Cantatum est Symbolum, scilicet, *Credo in unum*
„ *Deum*, in Latino .... Post hoc vero immediate prædictus
„ Patriarcha cum omnibus Græcis Archiepiscopis de Cala-
„ bria, & Frater V. de Morbecca de Ordine Fratrum Prædi-
„ catorum, & Frater Joannes de Constantinopoli de Ordine
„ Fratrum Minorum, Pœnitentiarii Domini Papæ, qui Lin-
„ guam Græcam noverant, cantaverunt solemniter, & alta
„ voce *prædictum Symbolum*; & quando ventum est ad Arti-
„ culum illum, qui a *Patre, Filioque procedit*, solemniter,
„ & devote *ter cantaverunt* „. Fidei autem Confessio in hac Oecumenica Synodo firmata, ad quam servandam solemni jurisjurandi sacramento sese Græci obstrinxerunt, sequentibus verbis in Constitutione I. concepta fuit: „ Fideli, ac de-
„ vota professione fatemur, quod Spiritus Sanctus æterna-
„ liter a Patre, & Filio, non tamquam ex duobus princi-

„ piis, sed tamquam ex uno principio, non duabus Spiratio-
„ nibus, sed unica spiratione procedit. Hoc professa est
„ hactenus, prædicavit, & docuit, hoc firmiter tenet, præ-
„ dicat, profitetur, & docet Sacrosancta Romana Ecclesia,
„ Mater omnium fidelium, & Magistra: Hoc habet Ortho-
„ doxorum Patrum, atque Doctorum, Latinorum pariter,
„ & Græcorum incommutabilis, & vera sententia. Sed quia
„ nonnulli propter irrefragabilis præmissæ ignorantiam veri-
„ tatis in errores varios sunt prolapsi; Nos hujusmodi erro-
„ ribus viam præcludere cupientes, Sacro approbante Con-
„ cilio, *damnamus, & reprobamus omnes, qui negare præ-*
„ *sumpserint æternaliter Spiritum Sanctum ex Patre, & Filio*
„ *procedere; sive etiam temerario ausu asserere, quod Spiritus*
„ *Sanctus ex Patre & Filio, tamquam ex duobus principiis,*
„ *& non tamquam ex uno procedat* „.

XX. (*Concilium etiam Generale Florentinum an.* 1439. *dogma, de quo agitur, definivit, plaudentibus & consentientibus Græcis*) Tandem in Synodo Generali, *Ipso Summo Pontifice Eugenio IV. præsidente*, Ferrariæ inchoata, & Florentiæ (quo ab pestem, quæ Ferrariensem Urbem corripuerat, translata fuit) expleta, cui adfuit Joannes Palaeologus Græcorum Imperator cum Josepho Patriarcha Constantinopolitano, Legatis Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni, & Hierosolymitani, ac amplissimo Orientalium Præsulum, & Hegumenorum comitatu, Græci (*uno repugnante Marco Ephesiorum Metropolita*, cujus putidissima mendacia, atrocesque calumnias *Bessarion Episcopus Nicænus*, & *Joannes Episcopus Metonensis* solide refutarunt), exploratis Sanctorum Patrum, & Conciliorum antiquis Codicibus Græcis & Latinis, & scriptis disputationibus identidem relectis, tamdiu a bonis omnibus optatam cum Latinis concordiam redintegrarunt, ut liquet *ex ejusdem S. Oecumenicæ Synodi definitione anno* 1439. *prid. Non. Julii Latine, & Græce publicata*, atque, ut ab Eugenio IV., Latinisque Patribus, ita a Græcorum Imperatore; ac PP. Orientalibus subscripta; in qua hæc ad rem nostram habentur: „ *Convenientes Latini, &*
„ *Græci* in hac Sacrosancta Oecumenica Synodo, magno stu-
„ dio invicem usi sunt, ut inter alia *etiam articulus ille de*
„ *Divina Spiritus Sancti Processione summa cum diligentia, &*

" *assidua inquisitione discuteretur*. Prolatis vero testimoniis
" ex Divinis Scripturis, plurimisque auctoritatibus SS. Do-
" ctorum Orientalium, & Occidentalium, aliquibus qui-
" dem ex Patre, & Filio, quibusdam vero ex Patre per Fi-
" lium procedere dicentibus Spiritum. Et ad eandem intelli-
" gentiam aspicientibus omnibus sub diversis vocabulis,
" Græci quidem asseruerunt, quod id quod dicunt Spiritum
" Sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt,
" ut excludant Filium; sed quia eis videbatur, ut ajunt,
" Latinos asserere Spiritum Sanctum ex Patre & Filio proce-
" dere tamquam ex duobus principiis, & duabus spiratio-
" nibus: ideo abstinuerunt a dicendo, quod Spiritus San-
" ctus ex Patre procedat, & Filio. Latini vero affirmarunt,
" non se hac mente dicere Spiritum Sanctum ex Patre, Filio-
" que procedere, ut excludant Patrem, quin sit fons, ac
" principium totius Deitatis, Filii scilicet, ac Spiritus San-
" cti, aut quod id, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio,
" Filius a Patre non habeat; sive quod duo ponant esse prin-
" cipia, seu duas spirationes; sed unum tantum asserunt
" esse principium, unicamque Spirationem Spiritus Sancti,
" prout hactenus asseruerunt. Et cum ex his omnibus unus
" & idem eliciatur veritatis sensus, tandem in infrascriptam
" Sanctam, & Deo amabilem, eodem sensu, eademque
" mente, *unionem unanimiter concordarunt, & consenserunt*.
" In Nomine igitur Sanctæ Trinitatis, Patris, & Filii, &
" Spiritus Sancti, hoc Sacro Universali approbante Conci-
" lio, definimus, ut hæc Fidei veritas ab omnibus Christia-
" nis credatur, & suscipiatur; sicque omnes profiteantur,
" quod *Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio æternaliter est; &
" essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul
" & Filio; & ex utroque æternaliter tamquam ab uno princi-
" pio, & unica Spiratione procedit*. Declarantes, quod id,
" quod SS. Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium
" procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam ten-
" dit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse, secun-
" dum Græcos quidem, causam, secundum Latinos vero,
" principium subsistentiæ Spiritus Sancti, sicut & Patrem. Et
" quoniam omnia, quæ Patris sunt, Pater ipse Unigenito
" Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem; hoc ipsum,

„ quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Pa„ tre æternaliter habet, a quo etiam æternaliter genitus est. „ Definimus insuper explicationem verborum illorum, *Filio„ que*, veritatis declarandæ causa, & imminente tunc ne„ cessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appo„ sitam „.

XXI. (*Patres Ecclesiæ, & nominatim Græci, fidem de Processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio prædicarunt*) Nunc autem unum est reliquum, ut scilicet Patrum Ecclesiæ testimonia producamus; non quidem omnia, nec omnium, (hoc enim infiniti operis esset), sed pauca ex Orientalis Ecclesiæ Patribus excerpta. Cum enim Græci, quibuscum agimus, Latinos Patres, atque ex his illos etiam, *quorum testimonia non minus ac SS. Athanasii, Basilii, Gregorii Nazianzeni, cæterorumque*, ad probanda Catholicæ Fidei dogmata *in Conciliis Generalibus*, *Ephesino I. Act. I.*, *Chalcedonensi Act.* 11., *Constantinopolitanis II. collat. VIII.*, *& III. Act. IV. V. VIII. IX. X. XIV. XV.*, *nec non Nicæno II. Act.* 11. recitata sunt, sibi adversari fateantur, supervacaneum est horum hic verba describere. Si quis tamen consulere illos velit, adeat *S. Hilarium lib.* 8. *de Trinit. num.* 19. *& seqq.*, *S. Ambrosium* (qui ut homo Dei, a Deo Christi Evangelium edoctus, & ex terræ Judicibus ad Cathedram Apostolorum a Deo translatus laudatur a S. Basilio Epist. ad eund., quæ est ord. 197.; & in Græcorum Menologio, ac Menaeis ad diem 7. Decembris merito celebratur) *lib.* 1. *de Sp. S. cap.* 1. *num.* 25., *& cap.* 6. *num.* 80., *S. Augustinum* in locis, quæ a nobis allata sunt; *& S. Leonem M. Epist.* 15. *ad Turrib. cap.* 1.. Equidem non poterunt SS. istos Latinæ Ecclesiæ PP. nostros non sequi Dissidentes Græci dummodo attente legant verba præsertim Concilii Generalis V. Constantinopolitani II. Collat. 3., quæ eorum oculis subjicimus: „ Sequimur (inquit Oecumenica Synodus) per „ omnia SS. Patres & Doctores Ecclesiæ Athanasium, *Hi„ larium*, Basilium, Gregorium Theologum, Gregorium „ Nyssenum, *Ambrosium*, *Augustinum*, Theophilum, Joan„ nem Constantinopolitanum; Gulielmum (dic Cyrillum), „ *Leonem*, Proculum, & suspicimus omnia, quæ de recta „ fide, & condemnatione hæreticorum exposuerunt, „ Viden.

Labb. Tom. *6.* pag. 42. . Mittimus ceteros Latinos Patres nostros.

XXII. ( *Quo sensu nonnulli ex Græcis Patribus dixerint Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedere* ) Quoniam vero ex Græcis PP. aliqui Spiritum Sanctum *a Patre Filioque procedere*, alii *procedere a Patre per Filium* dicunt, antequam eorum verba adducamus, observandum est *ex S. Thoma, Sum. Theol. part.* 1. *qu.* 35. *art.*3. *c.*,, quod in omnibus locu-,, tionibus, in quibus dicitur aliquis per aliquem operari, ,, hæc propositio, *per*, designat in causali aliquam causam, ,, seu principinm illius actus.... Quia igitur Filius habet a ,, Patre, quod ab eo procedat Spiritus Sanctus, potest dici, ,, quod *Pater per Filium spiret Spiritum Sanctum*, vel quod ,, *Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium*; quod idem ,, est,,. Nec illud prætereundum, propositiones istas *a Patre & Filio procedere*, *& procedere a Patre per Filium*, esse æquipollentes, quatenus virtutem spirandi Spiritum Sanctum, quæ una eademque Patri inest, ac Filio, enunciant, ut ex allata superius definitione Synodi Generalis Florentinæ liquet: ,, Declarantes, quod id, quod SS. Doctores, & ,, Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum San-,, ctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc signifi-,, cetur, Filium quoque esse, secundum Græcos quidem, ,, causam, secundum vero Latinos, principium subsisten-,, tiæ Spiritus Sancti, sicut & Patrem ,,. Itaque ipsis locutionibus promiscue usi sunt, ex PP. Græcis S. Cyrillus Alexandrinus, qui cum pluribus in locis Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedere tradat, *in lib.* 4. *advers. Nestorium cap.* 3. asserit, quod ,, ut procedit ex Patre Spiritus Sanctus, cum ,, sit ipsius secundum naturam, eodem quoque modo per ,, ipsum Filium, cum sit ejus naturalis, ipsique consubstan-,, tialis ,,: Et ex Latinis *S. Hilarius Pictav.*, qui *lib.* 2. *de Trinit. num.*29. *de Spiritu Sancto* ait: ,, Qui Patre, & Filio ,, auctoribus confitendus est ,, : *& lib.*12. *num.*56. Deum Patrem alloquens, inquit: ,, quod ex Te per Eum ( Unigeni-,, tum tuum ) Spiritus Sanctus tuus est, etsi sensu quidem ,, non percipiam, sed tamen teneo conscientia ,,: Et *num.*57. ,, Conserva, oro, hanc fidei meæ incontaminatam religio-,, nem, ... ut, ... semper obtineam Patrem scilicet Te no-

„ strum, & Filium tuum una tecum adorem, & Sanctum „ Spiritum tuum, qui ex Te per Unigenituum tuum est, pro- „ merear „. Ideo autem quidam ex Græcis PP. maluerunt dicere Spiritum Sanctum procedere a Patre per Filinm, sensu tamen a S. Thoma exposito, ne viderentur cum Eunomio sentire, qui, ut intelligitur *ex S. Basilio lib. 2. adv. Eunom. num.33. in fin.*, dicebat Spiritum Sanctum esse Filii creaturam; „ Filium (ajebat Eunomius) Ingeniti esse creaturam, „ Unigeniti vero Paraclitum „. Quod idem sensit Macedonius, ut tradit *Theodoretus lib.4. cap. 3. & 5. hæretic. fabul.* His præmonitis, aliqua, ut polliciti sumus, ex Ecclesiæ Orientalis Patribus testimonia seligimus, nonnullaque dein ex Græcorum Liturgiis excerpta subjicimus, multo plura daturi, si Græci ipsi postulaverint.

XXIII. (*Patrum testimonia 1. S.Justini M.*) S.Justinus M. (qui vitam pro Christiana Religione ab eo egregiis apologiis vindicata, *anno 167.*, profudit) in *Dial. cum Triphone Judæo, num.87.* (allatis *Isajæ verbis 11. v.1. seq.* „ *Requiescet* „ *super eum Spiritus Dei, Spiritus Sapientiæ &c.* „ ) ait: „ Requievit igitur, idest desiit Spiritus, posteaquam ille „ (Christus) advenit, cujus susceptæ inter homines dispu- „ sationis temporibus, finem apud vos habere oportebat, & „ in eo requiescentia; rursus, ut dictum fuerat (supple- „ oportebat), effundi dona illa, quæ *ex gratia virtutis Spi-* „ *ritus sui* largitur his, qui in ipsum credunt, prout quem- „ que dignum judicat. Quod quidem eum, postquam in „ Cœlum ascendisset, ita facturum jam dixi prænunciatum „ fuisse, iterumque dico. Dictum est igitur (Psal.67. 19.) „ Ascendit in altum, captivam duxit captivitatem, dedit do- „ na hominum; & rursus in alio vaticinio (Joel. n.28.): „ Effundam Spiritum meum „. Spiritum S. vocat Justinus M. sicut Spiritum Dei, ita Spiritum Christi, quod idem est ac Processionem substantialem Spiritus S. a Filio etiam confiteri; nam Spiritum Christi dicere non aliud significat, quam dicere, Spiritum S. a Filio quoque sicuti a Patre procedere, ut sup. (Num.X.) abunde ostensum est.

(2. *Athenagoræ.*) *Athenagoras, in Legat. pro Christ. an. 176. Christi, Marco Aurelio Antonino, & Lucio Aurelio Commodo oblata, Num.10.* „ Filius Dei est Verbum Patris in

,, idea & operatione. Ab eo enim, et per eum facta sunt omnia, cum Pater, & Filius unum sint. Cum autem *Pater sit in Filio, & Filius in Patre unitate, & virtute Spiritus*, Mens, & Verbum Patris est Filius Dei . . . . Atque illum ipsum Spiritum S., qui in Prophetis operatur, *effluentiam Dei esse dicimus, emanantem, & redeuntem, veluti radium solis*. Quis igitur non miretur, cum atheos vocari audiat eos, qui Deum Patrem, & Filium Deum, & Spiritum S. affirmant, ac eorum & in unione potentiam, & in ordine distinctionem demonstrant? *Num*.12. Nos qui hanc vitam instar minimi ponderis habemus, qui hac una re ad futuram perducimur, si Deum, ejusque Verbum cognoscamus; quæ Filii cum Patre unio; quæ Patris cum Filio communicatio; quid Spiritus; quæ trium unio, & in unitate distinctio *Spiritus Filii, & Patris* . . . . pie vivere non existimamur,,. Et *Num*.24.: ,, subdit Deum dicimus, & Filium ipsius, & Spiritum S., unitas secundum virtutem, Patrem, & Filium, & Spiritum S., quia mens, verbum, sapientia Filius Patris, *effluvium autem, & lumen ab igne Spiritus*.,, Est igitur ex Athenagora Pater in Filio, & Filius in Patre unitate, & virtute Spiritus; est Spiritus S. Deus, effluentia, vel effluvium Deitatis, quæ in Patre, & Filio. Quare ab utroque substantialiter procedat necesse est.

( 3. *S. Gregorii Thaumaturg.*) *S. Gregorius Thaumaturgus in exposit. Fidei per revel. accept. a S. Joanne Evang.* (quæ repetitur quoque *in ejusdem Thaumaturgi vita apud S. Gregorium Nyssenum*) : ,, Unus Spiritus S. ex Deo ortum, & existentiam habens . . . . Non ergo defuit unquam Filius Patri, neque Filio Spiritus, sed invariabilis, & immutabilis eadem semper manet Trinitas : ,, Et *in alia Exposit. Fidei*: ,, Confitemur consubstantialem esse Patri Filium, & Spiritum S. . . . . manente Patre ingenito, genito autem Filio ex Patre . . . . & Spiritu S. ex substantia Patris per Filium æterne emisso ,,.

( 4. *S. Dionysii Alexandrini*. ) *S. Dionysius Alexandr.*, *Vir beatus, & magnus, & cui antiquitas fidem conciliat* ( *ut ait S. Basilius lib. de Spir. S. cap.*29. *n.*71. *& Can.*1. *Epist.* 1. *Canon.*) , cum, exortis Sabellii hæresibus, eas primum sta-

tim juxta Ecclesiæ morem *S. Syxto II. Rom. Pontifici per litteras an.*257. damnandas detulisset, & actus zelo domus Dei contra earum Auctores, atque Asseclas disputaret, factum est, ut apud S.Dionysium PP. delata a quibusdam ejus fides fuerit, quasi in disputationis æstu tres Divinas Personas non solum distinxisset, sed, multiplicata Divina Natura, reapse in tres Deos essentiæ unitatem separasset. Qua de re ab ipso Summo Pontifice per Epistolas *an.* 261. admonitus est, ut fidei suæ de Augustiss. Individuæ Trinitatis Mysterio rationem redderet. Paruit ille Pontificis mandatis, cumque fidem suam rectam exponeret, Processionem Spiritus S. a a Patre Filioque docuit manifeste *lib.*2., *cui tit. Elenchus & Apologia* ( *ut est apud S.Athanasium Epist. de Sent. Dionysii n.*17. ). Ait itaque Alexandrinus Dionysius „ Singula nomi„ na a me prolata nec separari, nec dividi queunt. Patrem „ dixi, & priusquam Filii mentionem facerem, jam illum „ in Patre significaram. Filium adjunxi; ac etiamsi Patrem „ prius nominassem, is tamen in Filii nomine comprehen„ sus fuerat. Spiritum S. addidi; *sed simul, & unde, & per* „ *quem processerit, adjunxi*. Illi vero (Sabelliani) ignorant „ neque Patrem, qua Pater est, a Filio alienari posse; nam „ nomen illud est origo conjunctionis; neque Filium a Patre „ separari: namque Patris vocabulum commune quidpiam „ indicat. In manibus autem illorum est Spiritus, *qui neque* „ *a mittente, neque a ferente separari potest* „.

( 5. *S.Athanasii.* ) *S.Athanasius*, cujus nomen celebre est, & apud Græcos, *lib. de Incarn.*, *& con. Arian. n.*9., Processionem Spiritus S. etiam a Filio tradit. Cumulatis enim variis Scripturæ locis (*Joann.*7. *v.*38. *Joel.*2. *v.*28. *Jo.*20. *v.* 22. *ad Coloss. v.* 9. *Joann.*1. *v.*16. *Isaj.*44. *v.*2. *Joan.*4. *v.*10. *seq.*) in quibus Deus fonti, Spiritus vero aquæ ex fonte illo derivatæ comparatur, hæc habet: „ Eaque de causa ait Da„ vid ( Ps.35. v. 10.) *quoniam apud te est fons vitæ, & in lu*„ *mine tuo videbimus lumen*: Norat enim, apud Deum Pa„ trem *Filium esse Fontem Spiritus S.* „. Quid manifestius ad asserendam Spiritus S. etiam a Filio Processionem, cum tradat, Spiritum S. a Filio, sicut aqua a fonte profluere, seu emanare? Et *Epist.* 1. *ad Serap. num.*21. „ Cum igitur eun„ dem ordinem, eandemque naturam habeat *Spiritus erga*

„ *Filium, qualem Filius erga Patrem &c.* „ ; atqui ordo, quem habet Filius erga Patrem, alius non est, nisi ordo originis; ergo secundum B. Athanasium Spiritus S. habet ad Filium ordinem originis, scilicet ab ipso etiam procedit. Eandemque doctrinam itidem exponit *ibid. num.* 34., ubi præmissis Christi testimoniis apud *S. Joann.* 4. *v.* 21., *&* 14. *v.* 6., *nec non Ps.* 42. *v.* 3. sic concludit: „ Veri igitur adoratores Patrem „ quidem adorabunt, sed in Spiritu, & Veritate, *Filium* videlicet, & *in Filio Spiritum confitendo*. Nam a Filio separari non potest Spiritus, uti nec a Patre Filius; quemadmodum ipsa Veritas docet *apud Joann. c.* 15. *v.* 26., *& cap.* 14. *v.* 17. *&c.* „ Quod sub alio exemplo, Scriptura duce, ibidem explicaverat præcedenti *num.* 19. „ *Fons*, *& lux* (inquiens) Pater dicitur (*Jerem* 2. *v.* 13. *Baruch.* 3. *v.* 10. *&* 12. „ *Joan.* 1. *v.* 5.) . . . Filius vero, cum refertur *ad fontem* dicitur *fluvius* (*Ps.* 64. *v.* 10.) . . . . Cum autem idem *ad lucem* „ refertur, *splendor* appellatur (*Hæbr.* 1. *v.* 3.) . . . . Cum „ ergo Pater sit lux, & Filius ejus sit splendor . . . *licet quoque in Filio perspicere Spiritum S.*, *in quo nempe illuminamur*. (*Ad Ephes.* 1. *v.* 17. *Joan.* 1. *v.* 9.) „.

(6. *S.Basilii M.*) *S.Basilius M. lib. de Spir. S. cap.* 17. *n.* 43. „ Itaque quemadmodum se habet Filius ad Patrem, „ ita ad Filium sese habet Spiritus secundum traditum in „ baptismo verborum ordinem. Quod si Spiritus Filio junctus est, Filius autem Patri, liquet ipsum etiam Spiritum „ Patri adjungi „. Et *cap.* 18. *n.* 45. „ Patri autem, ac Filio „ in tantum unitus est, quantum consortii habet unitas „ cum unitate „. Atqui, ut diximus, ordo quem habet Filius ad Patrem est ordo originis; ergo & ordo originis ille est, quem Spiritus S. habet ad Filium. Et *lib.* 5. *con. Eunom. ad quæst.* 11., „ Propterea & Dei quidem Verbum Filius est, „ Filii autem Verbum Spiritus „.

7. *S.Gregorius Nazianzenus Orat.* 24. *in Ægypt. advent. n.* 15. „ Quidquid Pater habet, *idem*, *excepta causa*, *Filii* „ *est*, „, (scilicet excepta Paternitate, & illa eminentia, ac originis prioritate, quæ Patris propria est): „ *quidquid item* „ *Filius habet*, *idem quoque Spiritus S. est*, (si filietatem, „ eaque omnia exceperis, quæ corporea ratione de eo prædicantur, propter me hominem, meamque salutem, ut quod

„ meum erat, accipiens, quod suum est, mihi per hanc no- „ vam commixtionem largiatur); tandem aliquando nugari „ desinite, o inanium verborum, ac statim cadentium ar- „ tifices„. *Orat.37. de Spir. S. n.61.* „ Nascitur Christus, „ præcurrit Spiritus; baptizatur ille, hic testimonium af- „ fert, tentatur ille, hic abducit, miracula edit ille, hic „ comitatur; ascendit ille, hic succedit . . . *Spiritus Dei* „ *dicitur, Spiritus Christi, Mens Christi* . . . *Spiritus Sa-* „ *pientiæ* „.

( 8. *S.Epiphanii*) . *S. Epiphanius adver. hæres. lib. 3. par.1. hæres.74. n.8.* „ Dicat aliquis: Duos ergo Filios sta- „ tuimus, quod si ita est, qui tandem esse potest Unigeni- „ tus? Imo vero: *Tu quis es, qui contradicas Deo?* ( *ad* „ *Rom.9. v.20.*) . Cum enim Filium vocet, qui a se oritur; „ *Spiritum vero S., qui ab utroque procedit*, eæ tres Personæ „ sola fide a SS. Viris perceptæ, lucidæ ac lucis auctores lu- „ cida sunt actione prædictæ, & cum ipso Patre fidei luce „ concordiam servant. Heus tu igitur: audi, quemadmo- „ dum Pater vere sit Filii Pater, totusque lux, & Filius ve- „ re sit Patris Filius, lumen de lumine, non ut facta, crea- „ tave cætera, appellatione dumtaxat; Spiritus S. denique „ Veritatis sit Spiritus, ac tertium a Patre, Filioque lumen„. Et *num.*10. „ Igitur si (Spiritus Sanctus) a Patre procedit, „ & de meo (*ait Dominus apud Matthæum* 11. *v.*27. ) accipit, „ quemadmodum nemo novit Patrem, nisi Filius, neque „ Filium, nisi Pater, ita Catholici dicere audent, neque „ Spiritum novit quispiam, nisi Filius, a quo accepit, & „ Pater, a quo procedit: neque Filium, & Patrem novit ali- „ quis, nisi Spiritus S., qui vere celebrat, & prædicat, qui „ docet omnia, qui de Filio testimonium dicit, *qui a Patre* „ *Filioque procedit* „.

( 9. *S.Gregorii Nysseni*) . *S.Gregorius Nyssenus Orat. 1. con. Eunom.* : „ Ab æterno in Patre Filius intelligitur, qui „ est & Sapientia, & Veritas, consilium, & fortitudo, co- „ gnitio, & intelligentia. Ab æterno una cum ipso etiam „ Spiritus S cognoscitur, qui quidem est *Spiritus Sapientiæ*, „ *& Veritatis, & Consilii, & Intellectus, cæteraque alia*, „ *quæ Filius & est, & nominatur* . . . „ Et infra . . . . „ Patris Appellatio non est essentiæ significatrix, sed rela-

„ tionis ad Filium index . . . . Filius conjunctim, & una „ cum ipso *Spiritus Vitæ, & Veritatis* commonstratur: si- „ quidem ipse est Vita, & Veritas „. Et *in fine lib.2. con. Eunom.* ( quem ex Codice Bavarico primum publicavit P. Jacobus Gretserus ) : „ Idem de S. Spiritu docemus, in solo or- „ dine differentia constituta est. Quemadmodum enim Pa- „ tri Filius conjugitur, & cum ex illo originem ducat, hy- „ postasi tamen posterior non est: sic etiam Spiritus S. ad „ Filium se habet, nam in *sola principii ratione Filius prius, quam Spiritus S. hypostasis concipitur*: temporales autem di- „ mensiones in illa omne sæculum antegressa vita, non in- „ veniuntur: ita ut excepta principii ratione, Sanctissima „ Trinitas in omnibus prope sibi consonet, quam decet glo- „ ria, & imperium „. Hoc loco solerter observandum est, quod Photius ipse hoc idem opus S.Gregorii Nysseni contra Eunomium non vulgaribus exornat laudibus; ita ut Photii ac Cerularii Sectatores tam illustris Ecclesiæ Patris auctoritatem nulla ratione possint elevare. Enimvero Photius Codice VII. inquit: „ Lectum est alterum ejusdem Gregorii Nys- „ seni opus de eadem ipsa re (*nempe adversus Eunomium*) in „ quo rationibus validioribus cum Eunomio manus conferens „ eum vi expugnat, omnia impietatis firmamenta labefa- „ ctans. Venustas vero orationis, & splendor jucunditate „ mixtus etiam hoc opere decenter se ostendit „. Itaque, licet tacite, dilucide satis profitetur Photius Processionem Spiritus S. a Patre, & Filio, cum istud laudet Nysseni opus, in quo S. ille Pater expresse tradit, quod, „ quemadmodum Pa- „ tri Filius conjungitur, & cum ex illo originem ducat, hy- „ postasi tamen posterior non est: *sic etiam Spiritus S. ad* „ *Filium se habet; nam in sola principii ratione Filius prius,* „ *quam Spiritus S. hypostasis concipitur &c.* „.

( 10. *Dydimi.* ) *Dydimi in Logo, seu Sermone de Spir. S. n.*34. „ Salvator, qui & Veritas, ait: *non enim loquetur* (Spi- „ ritus Sanctus) *de semetipso*: hoc est, non sine me, & si- „ ne meo, & Patris arbitrio, quia inseparabilis a mea, & „ Patris voluntate: quia non ex se est, sed ex Patre, & Me „ est: hoc enim, quod subsistit, & loquitur, a Patre, & „ Me illi est. Ego Veritatem loquor, idest, inspiro, quæ „ loquitur: siquidem Spiritus Veritatis est „: Et *numer.* 37.

„ Neque enim quid aliud est Filius, exceptis his, quæ ei „ dantur a Patre : neque alia substantia est Spiritus S. præter „ id, quod datur ei a Filio „.

( 11. *S. Cyrilli Alexandrini.* ) *S. Cyrillus Alexand. Thesaur. Assert.* 34. „ Cum igitur Spiritus S. nobis immissus ( di- „ cente Christo, *Accipite Spiritum S.*, *apud Joan.* 20. *v.* 22.) „ conformes nos Deo efficiat; *procedat vero is a Patre, &* „ *Filio*, manifestum est, ex divina essentia ipsum esse, *es-* „ *sentialiter in ipsa, & ex ipsa procedentem*; sicut & Spiri- „ tus, qui ex humano ore procedit; etiamsi humile hoc, „ atque indignum tanta re exemplum videatur. Deus enim „ omnia excedit „.

( 12. *Philonis Carpathii.* ) *Philo Carpathius in Cypri Insula Episcopus*, a S. Epiphanio Salaminæ Antistite ex Dei revelatione Episcopus ordinatus, quem & memorant *magna Græcorum Menaea ad diem 24. Januar. in Comment. ad Canticum Canticorum ad ver.1. cap.1. in verba illa „ osculetur me* „ *osculo oris sui* „. Mentem vero dicimus Patrem Verbi, in „ qua Verbum, cum quo Spiritus Sanctus, Spiritus oris Dei „ appellatur. Os enim Patris est Filius. Oris vero proprie- „ tate sumpta in exemplum, mutuam divinarum Persona- „ rum cohærentiam expressimus, proportione, & similitu- „ dine membrorum. Sic enim & Spiritus S. dicitur Spiritus „ oris illius, scilicet Dei, cum sit os Unigenitus, & rursus „ Spiritus ex ipso procedens, & missus non solum a Patre, „ sed etiam a Filio „.

( 13. *S. Maximi M.* ) *S. Maximus Martyr in Op.63. Dubior. ad Acridæ Regem &c.* „ Etenim Spiritus S., quemadmo- „ dum natura essentialiter Dei est, & Patris, ita & Filii na- „ tura essentialiter existit, ut qui a Patre per Filium ( qui „ nullis verbis explicabili ratione natus est ) substantialiter „ procedat „. Et *in Epist.* ad Marin. Cypri Presb. ait „ Spi- „ ritum S. etiam ex Filio procedere „; ac deinde asserit, consonantia ad rem *Latinorum Patrum* testimonia prolata esse, inter quæ *S. Cyrilli ex ejus lucubratione in S. Joannem*. Quem S. Maximi locum laudibus extollit *S. Athanasius* ejus discipulus, & omnium calamitatum, itinerum, & exiliorum, quæ constantissimus Martyr sustinuit ad decennium, comes individuus.

( *Græcorum Liturgiæ.* ) Sed & Patribus merito addi possunt *Græcorum Liturgiæ*, in quibus substantialis Spiritus S. a Patre, & Filio Processio traditur. ( *Pentecostarium* ). Legitur enim *in Pentecostorio* Litte ψ τῆς ἑσπέρας „ Spiritus S., „ qui lumen est summe perfectum effulgens e lumine, ex „ Patre profecto, & principii experte, & *per Filium procedens* „ ( *Octoechum* ). *In Octoecho Minore sono III. sub finem.* „ Da nobis Christe in advocatam irreprehensibilem Eam, „ quæ te genuit, atque ejus precibus nobis misericordiam „ largire, Spiritum scilicet bonitatis datorem, qui *ex Patre* „ *per Te procedit* „. ( *Pentecostarium* ). *In Triodio VII. Ode Canonis hebdomadæ II.* hæc habentur „. Veni ad nos, Spiritus S., & particeps tuæ effice sanctitatis, & luminis nunquam occidentis, & vitæ divinæ, & adoratissimæ distributionis. Tu enim fluvius Divinitatis *ex Patre per Filium procedens* „. *In Oratione Missæ S. Basilii* post recitatum Symbolum, Sacerdos secreto dicit: „ Dominator Domine . . . . „ Pater D. N. J. C. magni Dei, & Salvatoris spei nostræ, „ qui est imago bonitatis tuæ, æqualis formæ signaculum in „ seipso ostendens, ut qui sit Verbum vivens, Deus verus „ ante sæcula, sapientia, vita, sanctificatio, potentia, lu„ men verum, *ex quo Spiritus Sanctus apparuit* Spiritus Veri„ tatis „: nempe, *ex quo processit*, quemadmodum *S. Cyrillus Alexandrinus Dialogo* 111. de *Trinitate* explicat, dum ait: „ & hoc quidem, *ex Deo apparuisse* non aliud significare ar„ bitretur, si sana est, & incorrupta mente, quam quod ge„ nitus est, *& ex ipsa existit Patris substantia* „: Unde, & similiter *Spiritum Sanctum a D. N. J. C. apparuisse*, nil aliud significat, quam ex Illo substantialiter procedere; quod manifestum fit etiam ex eo, quod *in ea ipsa Oratione Basilianæ Missæ* Spiritus Sanctus, *Spiritus Veritatis* dicitur, hoc est *Christi Jesu*, qui de se ait „ Ego sum Via, Veritas, & Vita „ ( Joann. 14. 6. ). ( *Euchologium* ). Quapropter in *Condachio*, *quod recitatur in Missa S. Joan. Chrysostomi*, sic Sacerdos, dum *Hymnus Cherubicus* canitur, Christum compellat: „ Fac me idoneum virtute Spiritus tui Sancti, ut . . . „ hoc Sacrificium conficiam „; subditque: „ Tu enim es, „ qui offers, & cui offertur, & accipis, & distribuis, Cri„ ste Deus noster, & Tibi gloriam referimus, una cum

„ principii experte tuo Patre, & cum Sanctissimo, & bono, „ & vivifico *Tuo Spiritu* „: ( *Pentecostiarum* ) Insuperque, *in Officio Dominica die* Christus inducitur cum Apostolis colloquens: „ Ego vobis *Paraclitum, quasi Me alium mittam,* „ *Spiritum meum, qui & Patris est* „. Nil expressius, & enucleatius dici potest ad asserendam ex Patre Filioque Spiritus Sancti substantialem Processionem. Quomodo ergo Græci Dissidentes contradicere poterunt fidei de Processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio, cujus confessionem in Sacris Officiis emittunt in Ecclesia, & coram Populo? ( Viden. Opusc. nostrum *de Primatu* Jurisdictionis Rom. Pontificis Num. XIV. ante finem ). Ad hæc ( *Nequeunt Rutheni, & Græci Dissidentes rejicere Professionem Fidei de Processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio contentam in Symbolo S. Athanasii* ): sane admittunt Græci Dissidentes Symbolum S. Athanasii, de quo Gennadius, seu Georgius Scholarius Patriarcha Constantinopolitanus hic infra laudandus idoneus est testis. Habent illud & Rutheni ab Ecclesia Romana sejuncti, siquidem inter Ecclesiasticos libros, quos ipsi suspiciunt, quibusque utuntur, recensetur ille, in quo collecta reperiuntur plura doctrinæ monumenta, nempe Psalterium Davidis; brevis explicatio fidei Athanasii Constantinopolitani Patriarchæ, & Cyrilli Alexandrini; Regulæ ad persolvendum Psalterium &c.: In hoc eodem volumine post Psalterium legitur Symbolum S. Athanasii ( apud Boursier: Relation de Demarches &c. Num. 11. §. Il y a ). Eo autem in Symbolo eleganti, sublimique stylo, expressisque verbis proponitur Fides Catholicæ Ecclesiæ, atque inter alia plura dicitur: „ *Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus S. a Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens* „. Tale, ac tantum auctoritatis pondus cum neque convellere, neque elevare possent Dissidentes Græci, qui hujus Symboli S. Athanasium auctorem esse non negabant; hinc non destiterunt temporibus retroactis contumelias in SSmum Doctorem Athanasium jacere, ac mordere illius venerandam memoriam, quæ vivit in generationes, & generationes. Id patet ex memorati Gennadii Scholarii testimonio in Op., cui titulus „ Defensio V. Capp.;

quæ in S. Oecum. Florentina Synodo continentur „. Ait enim : „ Animadvertite; rogo per Dominum, animadverti-
„ te. Accedat igitur veritatis præco, & Confessor Magnus,
„ & celebris Athanasius, ut mecum eadem testificetur. Hic
„ enim in confessione suæ fidei, cujus principium „ Qui-
„ cumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat
„ Catholicam fidem „ sic inquit : „ Spiritus Sanctus a Pa-
„ tre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed
„ procedens „. Doctor hic etiam dicit a Patre, & Filio
„ Spiritum Sanctum esse non factum, non creatum, non
„ genitum, sed procedentem. Cum in hunc locum perve-
„ nerim subiit mihi vehementer flere, & in vocem prorum-
„ pere cum lacrymis, & ejulatu, & eos deplorare, qui
„ sponte sua adversus lucem oculos occludunt, & veritati
„ repugnant; nec solum veritati contradicunt, verum etiam
„ SS. Ecclesiæ Doctores aspernantur, neque aspernantur so-
„ lum, sed etiam injuria afficiunt. Quamnam defensionem,
„ vel commiserationem invenient, qui hæc faciunt? Oh
„ tuam patientiam Christe Rex! Athanasium dicere non ve-
„ rentur, ebrium fuisse, & vino oppletum quando hæc
„ scripsit. Vere plenus erat Spiritualis poculi Sapientiæ, &
„ gratiæ ex Spiritus Sancti fonte scaturientis, non, ut hi
„ miserabiles dicunt. Propitius sit illis Dominus, ac no-
„ bis; tollatur ab eis hæc impudentia, nobisque contingat
„ sub Athanasii pedibus consistere „. Igitur non Græci, non Rutheni Dissidentes universalis Ecclesiæ Doctrinam usque a primis Sæculis semper retentam, atque explicite traditam (ut probavimus) de Processione Substantiali Spiritus Sancti a Patre, & Filio negare poterunt, nisi velint sibi ipsis contradicere.

Quod si objiciendum quis putet Athanasianum non esse genuinum opus hanc Fidei Professionem, quamvis *Fides Athanasii* primitus inscripta fuerit, ut constat ex Canone Augustodunensis Synodi Sæculi IV., & ex versionibus Græcis, nec non ex Breviario Manuscripto Cassinensis Monasterii antiquissimo, nihil tamen de robore argumenti nostri detraheret. Enim vero non desunt doctissimi Viri Athanasio eam tribuentes, inter quos (præter alios plures vetustiores) doctissimus Annalium Parens Cardinalis Baronius;

et item alii sunt , qui concedunt Athanasio primam illius partem , quæ concluditur verbis „ Qui vult ergo salvus „ esse, ita de Trinitate sentiat „ , in qua prima Parte confessio fidei de Processione Spiritus Sancti a Patre , Filioque continetur. Negari autem non potest , tempore Gennadii Scholarii neque in discrimen positum fuisse a Græcis , Symbolum, de quo loquimur, genuinum fœtum esse Athanasii. Ast concedamus ei , qui nobis objiciendum ducat, non esse illud Athanasii opus ; nihilominus firmum adhuc manet convincens argumentum petitum ex ea Professione Bidei ad adstruendam veritatem adversus Dissidentes . Quærunt namqne Scriptores nonnulli, qui Athanasio Symbolum hoc abjudicant , quis Auctor ejus fuerit ? Alii volunt illud scripsisse Sæculo IV. S. Eusebium Vercellensem Episcopum S. Athanasio coaevum ; alii sequenti Sæculo V. S. Vincentium Lerinensem ; quidam VI. Sæculo Græcum Anastasium Sinaitam ; quidam Gallicanum Anonimum Theologum, qui Pipini , vel Caroli Magni temporibus floruerit, hoc est Sæculo VIII. , aut sub initium Sæculi IX. , cum mortem obierint , Pipinus quidem anno Cristi 768. , Carolus autem Magno anno 814.:Verum plurimi eam Fidei Professionem tribuunt Vigilio Tapsensi in Africa Episcopo, qui vixit sub finem Sæculi V., saeviente Wandalorum in Africa persecutione, quam sententiam patrocinatus est, seu potius in medium primus protulit critices arti non parum ( forte etiam intemperantius ) addictus Quesnellus ( Dissert. XIV. inter Opp. S. Leonis M. edit. Baller.), qui illam exaratam a Vigilio fuisse conjicit, cum Constantinopoli exularet, ac proinde cum Græci crederent omnibus , quæ in hoc Symbolo exponuntur ; & ex hoc confidentius nomine S. Athanasii ab eo fuisse adornatam, quod summam Athanasianæ fidei vere contineret. Huic opinioni contradicunt doctissimi Ballerinii ( observat. in eam Dissert. ) , qui prolatis indubiæ notæ monumentis Sæculi VI. jure inquiunt num. 11., illam Professionem Fidei „ jamdiu ante ( h. e. ante Saeculum VI. ) scriptam, *usuque plurimorum receptam fateri necesse est* „ . Viden iidem Baller. Docum. Jur. Canon. veter. cap. IV. §. 2. adnot.2. Adde Tillemontium , qui Not.34. in S. Athanasium asserit, certum esse, quod Symbolum Athanasianum di-

etum vetus sit opus, nec Sæculo VI. recentius. Quocumque igitur Græci, Ruthenique aspiciant, vim argumenti nostri ex Athanasiana Fide petiti nequeunt declinare, cum dubitare non liceat, eam Sæculo VI. esse antiquiorem, aut saltem aequalem, ac per totam Ecclesiam illo etiam aevo fuisse frequentatam. Igitur Athanasianum Symbolum (in eorum etiam improbabili sententia, qui anonimum Gallicanum Theologum illud scripsisse censent) editum est antequam Photius Orientem tenebris obvolvere, & in malum præcipitare omni conatu adlaboraverit, quod accidit post annum Cristi 850., seu post medium Sæculi IX. Indubitata vero res est, ea ætate fuisse Græcos Latinis conjunctissimos, eandemque cum Latinis habuisse fidem,ac communionem sub Romano Pontifice in universum Orbem tenente Jurisdictionis Primatum; ac per consequens fidem de Processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio tunc Græcos fideliter retinuisse, ac prædicasse. Sed hoc fortius adhuc urget Ruthenos, quod quum ipsi in suis Sacris libris S. Athanasii Symbolum descriptum servent, proinde hoc Symbolum continere fidem divinam, ac integram hujus fidei professionem credere debent, sicuti facto ipso fatentur.

XXIV. ( *Apologetica Animadversio pro Latinis* ). Itaque Latini in Graecos ( a quibus accusantur, eo quod voce Processionis Spiritus Sancti etiam a Filio, ad essentialem ejusdem Spiritus Sancti ab ipso Filio emanationem significandam, utantur), illa intorquere possunt verba *S. Basilii in Macedonianos* ( illum coarguentes, quod voces *cum*, atque *&*, Spiritum Sanctum in glorificatione Sanctissimæ Trinitatis commemorans, adhiberet ) contenta *in lib. de Spir. S. cap. 29. n. 75.* „ Qui fit . . . , ut ego sim innovator, & recentiorum verborum architectus? Cum totas Nationes, „ Civitates, & consuetudinem omni hominum memoria vetustiorem, insuper & viros Ecclesiæ columnas, omni „ scientia, ac virtute Spiritus claros, hujus vocis duces, ac „ patronos exhibeam? . . . Nam ex quo tempore est annuntiatum Evangelium usque ad præsens, ostenditur in Ecclesiis usitata fuisse: & quod est omnium maximum, „ pium, ac religiosum usum habere demonstratur „: quod verum est de Professione explicita dogmatis, quod asseri-

mus, in verbo Dei cum scripto, tum tradito expressi, & ab Ecclesia universa propositi, ac definiti; veluti ex his, quæ attulimus, plane constat.

## CAPUT VI.

*Argumentis ex Theologicis rationibus ductis ostenditur Spiritum Sanctum a Filio quoque substantialiter procedere.*

Ut propositæ nobis brevitati studeamus, ex pluribus rationum momentis, quæ ad evincendam substantialem Spiritus Sancti a Filio quoque Processionem a Theologis adduci solent, nonnulla dumtaxat afferemus tum ex S. Thomæ Aquinatis Operibus deprompta, locis, ex quibus decerpta sunt, indicatis; tum & a nobis ad eundem scopum addita.

XXV. ( *Si Spiritus Sancto non procederet etiam a Filio, nullo modo posset ab eo personaliter distingui: Quod tolleret fidem SSmæ Trinitatis* ). PRIMUM. „ Necesse est dicere, „ Spiritum Sanctum a Filio esse. Si enim non esset ab eo, „ nullo modo posset ab eo personaliter distingui . . . Non „ enim est possibile dicere, quod secundum aliquod abso- „ absolutum Divinæ Personæ ab invicem distinguantur; „ quia sequeretur, quod non esset trium una essentia. „ Quidquid enim in Divinis absolute dicitur, ad unitatem „ essentiæ pertinet. Relinquitur ergo, quod solum relatio- „ nibus Divinæ Personæ ad invicem distinguantur. Relatio- „ nes autem Personas distinguere non possunt, nisi secun- „ dum quod sunt oppositæ. Quod ex hoc patet, quod Pa- „ ter habet duas relationes, quarum una refertur ad Fi- „ lium, & alia ad Spiritum Sanctum, quæ tamen, quia „ non sunt oppositæ, non constituunt duas Personas, sed „ ad unam Personam Patris tantum pertinent. Si ergo in Fi- „ lio, & Spiritu Sancto non esset invenire nisi duas rela- „ tiones, quibus uterque refertur ad Patrem, illæ relationes „ non essent ad invicem oppositæ, sicut neque duæ relatio- „ nes, quibus Pater refertur ad illos. Unde sicut Persona „ Patris est una, ita sequeretur quod Persona Filii, & Spi- „ tus Sancti esset una, habens duas relationes oppositas

„ duabus relationibus Patris. Hoc autem est hæreticum, cum „ tollat fidem Trinitatis. Oportet ergo quod Filius, & Spi- „ ritus Sanctus ad invicem referantur relationibus oppositis. „ Non autem possunt esse in Divinis aliæ relationes opposi- „ tæ, nisi relationes originis . . . . Oppositæ autem rela- „ tiones originis accipiuntur secundum principium, & se- „ cundum quod est a principio. Relinquitur ergo quod ne- „ cesse est dicere, vel Filium esse a Spiritu Sancto, quod „ nullus dicit, vel Spiritum Sanctum esse a Filio, quod nos „ confitemur „. *S. Thomas Sum. Theol. par. I. qu. 36. ar. 2. c.*

XXVI. ( *Quum Filius procedat per modum intellectus ut Verbum; & Spiritus Sanctus per modum voluntatis, ut Amor necesse est quod Spiritus Sanctus a Filio quoque procedat* ). ALTERUM. „ Filius procedit per modum intellectus, ut Ver- „ bum; Spiritus Sanctus autem per modum voluntatis, ut „ Amor. Necesse est autem, quod amor a Verbo procedat. „ Non enim aliquid amamus, nisi secundum quod conce- „ ptione mentis apprehendimus. Unde & secundum hoc ma- „ nifestum est, quod Spiritus Sanctus procedit a Filio „. Ibid.

XXVII. ( *Quum a Patre procedant Filius, & Spiritus Sanctus, oportet aliquem ordinem eorum ab invicem invenire; qui ordo non potest esse nisi naturæ, quo alius est ab alio. Ex hoc sequitur, Spiritum Sanctum a Filio etiam procedere* ). TERTIUM. „ Nusquam enim hoc invenimus, quod ab uno pro- „ cedant plura absque ordine, nisi in illis solum, quæ ma- „ terialiter differunt, sicut unus faber producit multos cul- „ tellos materialiter ab invicem distinctos, nullum ordi- „ nem habentes ab invicem. Sed in rebus, in quibus „ non est sola materialis distinctio, semper invenitur in „ multitudine productorum aliquis ordo. Unde etiam in or- „ dine creaturarum productarum decor divinæ Sapientiæ ma- „ nifestatur. Si ergo ab una Persona Patris procedant duæ „ Personæ, scilicet Filius, & Spiritus Sanctus, oportet esse „ aliquem ordinem eorum ab invicem: Nec potest aliquis „ ordo alius assignari, nisi ordo naturæ, quo alius est ex „ alio. Non est igitur possibile dicere, quod Filius, & Spi- „ ritus Sanctus sic procedant a Patre, quod neuter eorum

„ procedat ab alio, nisi quis poneret in eis materialem di„ stinctionem, quod est impossibile. Unde etiam ipsi Græ„ ci Processionem Spiritus Sancti aliquem ordinem habere ad „ Filium intelligunt. Concedunt enim Spiritum Sanctum „ esse Spiritum Filii, & esse a Patre per Filium: et quidam „ eorum dicuntur concedere, quod sit a Filio, vel profluat „ ab eo, non tamen quod procedat. Quod videtur vel ex „ ignorantia, vel ex protervia esse; quia, si quis re„ cte consideret, inveniet processionis verbum inter om„ nia, quæ ad originem qualemcumque pertinent, com„ munissimum esse. Utimur enim eo ad designandam qua„ lemcumque originem, sicut quod linea procedat a pun„ cto, radius a sole, rivus a fonte, & similiter in quibus„ cumque aliis. Unde ex quocumque alio ad originem per„ tinente potest concludi, quod Spiritus Sanctus procedat a „ Filio „. *Ibidem*.„

XXVIII. (*Quoniam Spiritus Sanctus est Persona a Filii Persona distincta, non potest distingui nisi relativa oppositione secundum originem; unde necesse est Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere*). QUARTUM. „ In rebus . . . . . . re„ mota materiali distinctione, quæ in Divinis Personis „ locum habere non potest, non inveniuntur aliqua di„ stingui nisi per aliquam oppositionem: quæ enim nul„ lam oppositionem habent ab invicem, simul esse pos„ sunt in eodem, unde per ea distinctio causari non potest: „ album enim, et triangulare, licet diversa sint, quia ta„ men non opponuntur, in eodem esse contingit. Oportet „ autem supponere secundum Fidei Catholicæ documenta, „ quod Spiritus Sanctus a Filio distinguatur: aliter enim „ non esset Trinitas, sed dualitas in Personis. Oportet igi„ tur hujusmodi distinctionem per aliquam oppositionem fie„ ri. Non autem oppositione affirmationis, et negationis, „ quia sic distinguuntur entia a non entibus; nec etiam op„ positione privationis, & habitus, quia sic distinguuntur „ perfecta ab imperfectis; neque etiam oppositione contra„ rietatis, quia sic distinguuntur, quæ sunt secundum for„ mam diversa: nam contrarietas, ut Philosophi docent, „ est differentia secundum formam; quæ quidem differen„ tia Divinis Personis non convenit, cum earum sit una

„ forma, sicut una essentia, secundum illud Apostoli (*ad* „ *Philipp.* II. *v.* 6.) de Filio dicentis, *qui cum in forma Dei* „ *esset*, scilicet Patris. Relinquitur igitur unam Personam „ Divinam ab alia non distingui, nisi oppositione relatio- „ nis: sic enim Filius distinguitur a Patre secundum oppo- „ sitionem relativam Patris, & Filii. Non enim in Divinis „ Personis alia relativa appositio esse potest, nisi secun- „ dum originem. Nam relative opposita vel super quanti- „ tatem fundantur ut duplum & dimidium; vel super actio- „ nem, & passionem, ut dominus & servus, movens & „ motum, Pater & Filius. Rursus relativorum quæ super „ quantitatem fundantur, quædam fundantur super diver- „ sam quantitatem, ut duplum & dimidium, majus & mi- „ nus; quædam super ipsam unitatem, ut *idem*, quod signi- „ ficat unum in substantia; & *aequale*, quod significat unum „ in quantitate, & *simile*, quod significat unum in qualitate. „ Divinæ igitur Personæ distingui non possunt relationibus „ fundatis super diversitatem quantitatis, quia sic tollere- „ tur trium Personarum aequalitas; neque iterum relatio- „ nibus, quæ fundantur super unum, hujusmodi enim re- „ lationes distinctionem non causant, immo magis ad con- „ venientiam pertinere inveniuntur, etsi forte aliqua eorum „ distinctionem præsupponant: In relationibus vero omni- „ bus super actione, vel passione fundatis, semper alte- „ rum est ut subjectum, & inaequale secundum virtutem, „ nisi solum in relationibus originis, in quibus nulla mi- „ noratio designatur, eo quod invenitur aliquid producere „ sibi simile, & aequale secundum naturam, & virtutem. „ Relinquitur igitur quod Divinæ Personæ distingui non „ possunt nisi oppositione relativa secundum originem. „ Oportet igitur, si Spiritus Sanctus a Filio distinguitur, „ quod sit ab eo: non enim est dicere, quod Filius sit a „ Spiritu Sancto, cum Spiritus Sanctus magis Filii esse di- „ catur, & a Filio detur „. Lib. 4. con. Gen. cap. 24. ad 1.

XXIX. (*Filiatio, & Processio non constituerent in Divinis duas Personas, nisi haberent oppositionem ad invicem, quæ non datur nisi secundum originem, ita quod unus sit ab alio. Ex quo sequitur, quod, si Spiritus Sanctus non procederet quo-*

*quæ a Filio, esset dualitas, non vero Trinitas Personarum*). QUINTUM. „ A Patre est & Filius, & Spiritus Sanctus „ oportet igitur Patrem referri & ad Filium, & ad Spiritum „ Sanctum, ut principium ad id quod est a principio. Re- „ fertur autem ad Filium ratione Paternitatis, non autem „ ad Spiritum Sanctum, quia tunc Spiritus Sanctus esset „ Filius: paternitas enim non dicitur nisi ad Filium. Opor- „ tet igitur in Patre esse aliam relationem, qua referatur ad „ Spiritum Sanctum, & vocetur *Spiratio*. Similiter cum in „ Filio sit quædam relatio qua refertur ad Patrem, quæ di- „ citur *filiatio*, oportet quod in Spiritu Sancto sit alia rela- „ tio, qua referatur ad Patrem, & dicatur *Processio*. Et sic „ secundum originem Filii a Patre sunt duæ relationes, una „ in originante, alia in originato, scilicet paternitas, & „ filiatio;& aliæ duæ ex parte originis Spiritus S.,scilicet spira- „ tio, & processio. Paternitas igitur, & Spiratio non con- „ stituunt duas Personas, sed ad unam Personam Patris „ pertinent, quia non habent oppositionem ad invicem. „ Neque igitur filiatio, & processio duas personas consti- „ tuerent, sed ad unam pertinerent, nisi haberent oppo- „ sitionem ad invicem. Non est autem dare aliam opposi- „ tionem nisi secundum originem. Oportet igitur quod sit „ oppositio originis inter Filium, & Spiritum Sanctum, ita „ quod unus sit ab alio „. *Ibidem ad* 2.

XXX. (*Cum Filius, & Spiritus Sanctus distinguantur ab invicem, oportet quod distinguantur per differentias originis, scilicet quod una Persona sit ab alia; unde necesse est quod Spiritus Sanctus sit etiam a Filio*) SEXTUM. „ Quæcumque con- „ veniunt in aliquo communi, si distinguantur ab invicem, „ oportet quod distinguantur secundum aliquas differentias „ per se, & non per accidens pertinentes ad illud commu- „ ne; sicut homo, & equus conveniunt in animali, & di- „ stinguuntur ab invicem, non per album, & nigrum, „ quæ se habent per accidens ad animal, sed per rationale, „ & irrationale, quæ per se ad animal pertinent; quia cum „ animal sit habens animam, oportet quod hoc distingua- „ tur per hoc, quod est habere animam talem, vel talem, „ ut puta rationalem, vel irrationalem. Manifestum est au- „ tem quod Filius, & Spiritus Sanctus conveniunt in hoc

,, quod est esse ab alio, quia uterque est a Patre; & secun-
,, dum hoc Pater convenienter differt ab utroque, in quan-
,, tum est innascibilis. Si igitur Spiritus Sanctus distingua-
,, tur a Filio, oportet quod hoc sit per differentias, quæ
,, per se dividant hoc quod est esse ab alio: quæ quidem
,, non possunt esse nisi differentiæ ejusdem originis, sci-
,, licet ad originem pertinentes, ut unum eorum sit ab
,, alio. Relinquitur ergo, quod ad hoc, ut Spiritus Sanctus
,, distinguatur a Filio, necesse est quod sit a Filio,,. *Ibidem ad 3.*

XXXI. ( *Ex parte principii a quo generatur Filius, & procedit Spiritus Sanctus, necesse est quod Spiritus Sanctus sit non solum a Patre, sed quoque a Filio* ) SEPTIMUM. ,, Si quis
,, dicat, Spiritum Sanctum distingui a Filio, non quia sit
,, a Filio, sed propter diversam originem utriusque a Pa-
,, tre, in idem hoc realiter redire necesse est. Si enim Spi-
,, ritus Sanctus est alius a Filio, oportet quod alia sit ori-
,, go, vel processio utriusque. Duæ autem origines non
,, possunt distingui nisi per terminum, vel principium, vel
,, subjectum; sicut origo equi differt ab origine bovis ex
,, parte termini, secundum quod hæc duæ origines termi-
,, nantur ad naturas speciei diversas. Ex parte autem prin-
,, cipii, ut si supponamus in eadem specie animalis quæ-
,, dam generari ex virtute activa solis tantum, quædam au-
,, tem cum hac simul ex virtute activa seminis. Ex parte
,, vero subjecti differt generatio hujus equi, & illius se-
,, cundum quod natura speciei in diversa materia recipitur.
,, Hæc autem distinctio, quæ est ex parte subjecti, in Di-
,, vinis Personis locum habere non potest, cum sint omni-
,, no immateriales. Similiter etiam ex parte termini, ut
,, ita liceat loqui, non potest esse processionum distinctio,
,, quia unam & eandem divinam naturam, quam accepit
,, Filius nascendo, accipit Spiritus Sanctus procedendo. Re-
,, linquitur igitur quod utriusque originis distinctio non po-
,, test esse nisi ex parte principii. Manifestum est autem,
,, quod principium originis Filii est Pater solus. Si igitur
,, Processionis Spiritus Sancti principium sit solus Pater,
,, non erit alia processio Spiritus S. a generatione Filii, & sic

„ nec Spiritus Sanctus distinctus a Filio. Ad hoc igitur „ quod sint aliæ processiones, & alii procedentes, necesse „ est dicere, quod Spiritus Sanctus non sit a solo Patre, sed „ a Patre, & Filio. Si quis vero iterum dicat, quod diffe- „ runt Processiones secundum principium, in quantum Pa- „ ter producit Filium per modum intellectus, ut verbum, „ Spiritum autem Sanctum per modum voluntatis, quasi „ amorem, secundum hoe oportebit dici, quod secundum „ differentiam voluntatis, & intellectus in Deo Patre distin- „ guuntur duæ processiones, & duo procedentes. Sed vo- „ luntas, & intellectus in Deo Patre non distinguuntur se- „ cundum rem, sed solum secundum rationem . . . seque- „ tur igitur, quod duæ processiones, & duo procedentes „ differant solum ratione. Ea vero, quæ solum ratione dif- „ ferunt, de se invicem prædicantur, verum enim est dice- „ re, quod divina voluntas est intellectus ejus, & e con- „ verso. Verum ergo erit dicere, quod Spiritus Sanctus est „ Filius, & e converso: *quod est Sabellianæ impietatis*. Non „ igitur sufficit ad distinctionem Spiritus Sancti, & Filii di- „ cere, quod Filius procedat per modum intellectus, & Spi- „ ritus Sanctus per modum voluntatis, nisi cum hoc dicatur „ etiam, quod Spiritus S. sit a Filio „. *Ibidem ad* 4.

XXXII. ( *Cum, præter esse Patrem, & esse Filium, Pater, & Filius, quantum ad unitatem essentiæ non differant, ideo esse principium Spiritus Sancti est commune Patri, & Filio* ) OCTAVUM. „ Pater, & Filius, quantum ad uni- „ tatem Essentiæ non differunt nisi in hoc, quod hic est „ Pater, & hic est Filius. Quidquid igitur præter hoc est, „ commune est Patri, & Filio. Esse autem principium Spi- „ ritus Sancti, est præter rationem paternitatis, & filia- „ tionis: nam alia relatio est, qua Pater est Pater, & qua „ Pater est principium Spiritus Sancti, ut supra dictum „ est: Esse igitur principium Spiritus S. est commune Pa- „ tri, & Filio „. *Ibid. ad* 7.

XXXIII. ( *Propter unitatem naturæ Patris, & Filii, necesse est quod Spiritus Sanctus procedat etiam a Filio* ). NONUM. „ Sicut in Libro de Synodis dicitur: *Creaturæ pro- „ prium est, quod voluntate sua Deus eam produxerit*. Quod „ *Hilarius* ex hoc probat, quod creatura non est talis qua-

„ lis est Deus, sed qualem Deus eam voluit esse. Quia „ vero Filius est talis, qualis est Pater, dicitur, quod Pa- „ ter genuit Filium naturaliter. Eadem autem ratione Spiri- „ tus Sanctus est a Patre naturaliter, quia est similis, & „ æqualis Patri: natura enim producit sibi simile. Oportet „ autem quod creatura, quæ est a Patre secundum suam vo- „ luntatem, sit etiam a Filio, quia eadem est voluntas Pa- „ tris, & Filii. Similiter autem & eadem est natura utrius- „ que. Oportet ergo, quod sicut Spiritus Sanctus est a Pa- „ tre, ita sit a Filio. Nec tamen sequitur quod Filius, vel „ Spiritus Sanctus sint a Spiritu Sancto, licet & ipse habeat „ unam naturam cum Patre, sicut sequitur, quod creatura „ est ab eo in quantnm habet unam voluntatem cum Patre; „ propter repugnantiam quæ sequeretur, si Spiritus Sanctus „ diceretur esse a seipso; vel si ab eo diceretur esse Filius, „ qui est ejus principium „. *In quæst. disput. de Potentia qu.* 10. *art.* 4. *c.*

XXXIV. (*Si Spiritus Sanctus est a Patre per Filium, ut Græci confitentur, necesse est quod etiam Filius sit principium Spiritus Sancti*) DECIMUM. „ Græci . . . confitentur . . . „ quod Spiritus S. est a Patre per Filium, & quod Pater spi- „ rat Spiritum S. per Filium. Semper autem illud, per quod „ aliquid producitur, est principium ejus quod producitur. „ Oportet ergo quod Filius sit ptincipium Spiritus S.. Si „ autem refutant confiteri, quod Spiritus Sanctus sit a Fi- „ lio, quia Filius est ab alio, & sic non est prima radix ori- „ ginis Spiritus S., manifestum est, quod vane moventur. „ Nullus non refugit dicere lapidem moveri a baculo licet „ baculus moveatur a manu; nec Jacob esse ab Isaac, licet „ Isaac sit ab Abraham. Sed adhuc minus est in proposito „ refugiendum. Est enim una vis productiva Patris, & Fi- „ lii, quod non accidit in moventibus, & agentibus crea- „ tis. Unde sicut confitendum est, quod creaturæ sunt a „ Filio, licet Filius sit a Patre, ita confitendum est, quod „ Spiritus Sanctus sit a Filio, licet Filius sit a Patre. Mani- „ festum est ergo, quod dicentes, Spiritum Sanctum esse a „ Patre per Filium, *propriam vocem ignorant*, *sicut Aristote-* „ *les de Anaxagora* dicit. „ *Volentes* enim *esse Legis Docto-*

„ *res, non intelligunt neque quæ loquuntur, neque de quibus* „ *affirmant*. (Timoth. 1. v. 7.) „. Ibid. in corp. in fin.

XXXV. (*Spiritus Sanctus est charitas Patris, & Filii: ergo necesse est quod a Patre, Filioque procedat*) Ad hæc: Spiritus Sanctus *est ineffabilis charitas, qua ab æterno Pater diligit Filium, & Filius Patrem*. Hoc SS. PP. docent: *Ex Latinis S. Ambrosius lib. 1. de Sp. S. cap. 8. §. 94.* „ *Charitas Dei* „ *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum* (*Rom. 5.* „ *v. 5.*), ut intelligamus Spiritum Sanctum . . . divinæ cha- „ ritatis arbitrum, & fontem profluum esse „. *S. Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 5. num. 7.* „ Spiritus Sanctus est, „ quo Genitus a Generante diligitur, Genitoremque suum „ diligit „: *Et infra*: „ Spiritus Sanctus commune est ali- „ quid Patris, & Filii . . . . at ipsa communio consub- „ stantialis, & cœterna „; *& Tract. 9. in Joan.* §. 8.: „ Cha- „ ritatem laudans Apostolus Paulus copiosissime, atque „ uberrime, minus de illa dixit (1. Corinth. 13. v. 1. seq.), „ quam quod ait breviter Apostolus Joannes, cujus est hoc „ Evangelium. Neque enim dubitavit dicere (Epist. 1. 14. „ v. 16.) „ Deus charitas est „. Scriptum est enim (Rom. 5. „ v. 5.) „ Quia Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris „ per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis „. Quis ergo „ nominet Patrem, & Filium, & non ibi intelligat Charitatem Patris, & Filii? Quam cum habere cœperit, Spiritum „ Sanctum habebit: quam si non habuerit sine Spiritu Sancto erit „; & *Tract. 3. in Joann.* §. 1.: De eo, quod dixit (Joann. 17. v. 24. ad 26.): „ Pater quos dedisti mihi „ volo, ut ubi Ego sum, & illi sint mecum &c. „ ait Augustinus: „ In magnam spem Dominus Jesus suos erigit . . . . Omnibus prorsus ovibus suis bonus Pastor, „ omnibus membris suis magnum caput promisit hoc præmium, ut ibi Ipse est, & nos cum illo simus: nec poterit nisi fieri quod omnipotenti Patri se velle dixit omnipotens Filius. *Ibi est enim & Spiritus Sanctus, pariter æternus, pariter Deus, Spiritus unus duorum, & substantia voluntatis amborum* . . . . Unam esse Patris, & Filii voluntatem, *quorum etiam Spiritus Sanctus unus est, quo adjuncto cognoscimus Trinitatem, etsi intelligere nondum permittit infirmitas, credat pietas* „. *S. Isidorus Hispal. lib. 7. Ety-*

*molog. cap.*3. §. 3. Spiritum Sanctum proprie Charitatem nuncupari dicit, quia „ naturaliter eos, a quibus procedit, „ conjungit, & se unum cum eis esse ostendit „. *S. Petrus Damiani Opusc.* 1. *de Fide Cath. ad Ambrosium cap.* 2. de Spiritus Sancto loquens, ait: „ Et hæc summa illa Charitas est, „ qua Genitus a Gignente diligitur, suumque diligit Geni- „ torem „. Ex Græcis autem: Athenagoras in Legat. pro Cristianis num. 10. „ Filius Dei est Verbum Patris in idea, „ & operatione: ab eo enim, & per eum facta sunt omnia, „ cum Pater, & Filius unum sint. Cum autem Pater sit in „ Filio, & Filius in Patre *unitate*, *& virtute Spiritus*, Mens, „ & Verbum Patris est Filius Dei: „ *S. Athanasius Epist.*3. *ad Serap. num.* 6. „ Sane cum Corinthiis bene precaretur „ (S. Paulus) in Trinitate precabatur his verbis (*II. ad Co-* „ *rinth.* 13. *v.* 15.): *Gratia Domini nostri Jesu Christi*, *&* „ *Charitas Dei*, *& communicatio Sancti Spiritus cum omnibus* „ *vobis*: Nam cum participes sumus Spiritus, Verbi gratiam „ habemus, & in ipso Patris Charitatem „. *S. Gregorius Nyssenut in Cantico Canticor. hom.* 15. *in fin.* „ *Pater in me es*, „ *& ego in Te &c.* (Joann. 17. v. 21. seq.) Hujus autem uni- „ tatis nexus est gloria. Spiritum autem Sanctum appellari „ gloriam nemo prudentiorum negabit, si ipsa Domini ver- „ ba intuebitur, *gloriam quam dedisti mihi*, *dedi eis* (*ibi v.*22.) „ Revera enim eandem Discipulis gloriam dedit, cum ad „ eos diceret, *accipite Spiritum Sanctum* (*cap.* 20. *v.* 22.). „ Atque hanc gloriam, quam tamen semper habuit prius „ etiam quam hic mundus existeret &c. (*Joann.*17. *v.*5.) „. *Synesius Episcopus Cyrenes Hymno V. ver.* 51. *seq.* „ Salve, o „ purissime Spiritus, *centrum Filii*, *& Patris* „. *In Octoecho* etiam *Divinorum Officiorum Sono IV.* Græci ipsi canunt: „ Spi- „ ritui Sancto theologice dicimus: Tu es Deus, Vita, „ *Amor*, Lumen „. Hinc S. Thomas SS. PP. vestigiis inhærens, *Sum. Theol. Part. I. qu.* 36. *ar.* 4. *ad* 1. „ Si conside- „ rentur supposita Spirationis, sic Spiritus Sanctus proce- „ dit a Patre, & Filio, ut sunt plures: procedit enim ab „ eis ut amor unitivus duorum „. Quapropter cum Spiritus Sanctus sit amor Patris ad Filium, & Filii ad Patrem, & procedat ut amor unitivus duorum, evidens est quod a Patre, & Filio procedat: Siquidem percipi nequiret, quomo-

do Spiritus idem Sanctus esset amor unitivus duorum, & amor Patris ad Filium, & Filii ad Patrem, nisi ab utroque procederet; Et (ut verbis Scholæ loquamur) implicat in terminis, Spiritum Sanctum a solo Patre procedere, quoniam id esset idem ac Spiritum Sanctum esse, & non esse amorem reciprocum utriusque Personæ Patris, & Filii. Igitur quum Patris, & Filii una sit charitas, ac per consequens una consubstantialis, & coæterna virtus spirativa Spiritus Sancti, qui procedit per actum Divinæ voluntatis, ut amor, necesse est dicere, quod Spiritus Sanctus a Patre, & Filio tanquam ab uno principio, & unica Spiratione procedat.

XXXVI. (*Tertia Ssmæ Trinitatis Persona dicitur SPIRITUS SANCTUS, quia a Patre, Filioque procedit*) *Ex Nomine* denique SPIRITUS SANCTI evincitur ejus Processio a Patre, & Filio: „ Ad significandam Divinam Personam, „ quæ procedit per modum amoris, accomodatum est ex „ usu Scripturæ hoc nomen *Spiritus Sanctus* „ ait *S. Thomas ead. par.* 1. *qu.* 36. *ar.* 1. *c.* Quare autem accomodatum sit hoc nomen, rationem reddit *S. Augustinus lib.* 15. *de Trinit. cap.* 17., Qui etiam *lib.* 5. pariter *de Trinit. cap.* 11. *num.* 12. ait „ Ille Spiritus Sanctus . . . . qui non Trinitas, sed in „ Trinitate intelligitur, *in eo quod proprie dicitur Spiritus* „ *Sanctus, relative dicitur, cum & ad Patrem, & ad Filium* „ *refertur*, quia Spiritus Sanctus & Patris, & Filii Spiritus „ est . . . . Ergo Spiritus Sanctus ineffabilis est quædam „ Patris, Filiique communio . . . . Nam hoc ipse proprie „ dicitur, quod illi communiter: quia & Pater Spiritus, & „ Filius Spiritus, & Pater Sanctus, & Filius Sanctus. Ut „ ergo ex nomine, quod utrique convenit, utriusque com- „ munio significetur, vocatur donum amborum Spiritus S. (*Joann.* 15. *v.* 26. *Act.* 8. *v.* 20. *Rom.* 8. *v.* 9.). Eademque docet Tract. 99. in Joann. num. 7., & Tract. 122. num. 8. Quid itaque manifestius? Glossematibus opus non est ut intelligamus, Tertiam Augustiss. Trinitatis Personam ideo Spiritum Sanctum vocari, quia ad Patrem, & Filium refertur; quia Patris, & Filii Spiritus est; quia Patris, & Filii ineffabilis communio; nempe quia ex Patre, Filioque procedit. Cum S. Augustino concinit *S. Cyrillus Alexandr.*

*Dial. 7. de S. Trinitate ad Hermiam Presb.* „ Illud nomen , „ *Pater* , quod genuit , significat : & illud nomen *Filius* , „ quod genitus sit , demonstrat . Et vero quod Spiritus sit „ ex Deo & Patre , ipsiusque Filii proprius , instar nostri , „ humanique Spiritus , licet hypostatice , & vere existere „ intelligitur , *vocabulum declarat* „ . Græci ipsi Dissidentes Tertiam Sacros. Trinitatis Personam Spiritum S. vocant ; quapropter volentes nolentes Dogma Processionis Spiritus Sancti ut a Patre , ita quoque a Filio admittere , & confiteri coguntur .

## CAPUT VII.

*Probatur Spiritum Sanctum a Patre , & Filio tamquam ab uno principio substantialiter procedere .*

XXXVII. ( *Spiritus Sanctus a Patre , Filioque procedit , non tamquam ex duobus principiis , sed tanquam ab uno principio , & unica Spiratione* ) Quamquam , ut hactenus ostendimus , & a Patre , & a Filio Spiritus Sanctus substantialiter procedat , attamen non tamquam ex duobus principiis , sed tamquam ab uno procedit , quemadmodum patet *ex definitionibus Conciliorum Generalium* Lugdunensis II. & Florentini ( Num. XIX. & XX. ) sup. descriptis ; quæ definitiones cum Græcorum , tum Latinorum PP. auctoritate nituntur . Enim vero *S. Basilius homil. con. Sabellian. , Arium , & Anomæos num.3.* hæc docet : „ Neque tu ad stabiliendam impietatem sumito secretionem Personarum . Etsi enim duo „ sunt numero , tamen natura non sunt disjuncti , neque „ qui duo dicit , alienationem inducit . Unus Deus & Pa„ ter , unus Deus & Filius , non Dii duo , cum Filius iden„ titatem habeat cum Patre „ . . . . & num.4. „ Non sunt „ Dii duo , neque enim sunt duo Patres . *Principia duo qui „ inducit , duos Deos prædicat* . Talis enim est Marcion , & „ si quis illi similis sit impietate . . . . Ubi enim unum est „ principium , & unum quod ex ipso est , ubi rursus unum „ est exemplar , & imago una , unitatis ratio haudqua„ quam labefactatur . . . . Neque enim qui in foro imagi-

„ nem regiam intuetur, & regem dicit eum, qui in tabu-
„ la est, confitetur reges duos, imaginem, & eum, cujus
„ imago est: neque si dixerit, hic est rex, ostendens vi-
„ delicet eum, qui in tabula pictus est, continuo exemplar
„ ipsum appellatione regis privat. Immo vero dum hæc
„ confitetur, ei dignitatem firmavit. Nam si imago Rex
„ est, profecto jure potiore par est regem esse eum, qui
„ imagini, ut sit, causa est . . . . Atque sic imaginis ra-
„ tio, ut Deum decet, accepta, & Divinitatis nobis uni-
„ tatem exhibet. Hic enim in illo, & ille in hoc. Nam &
„ hic talis est, qualis ille; & ille qualis hic. Ita uniuntur
„ duo propterea quod non differant; nec Filius secundum
„ aliam speciem, & extraneum characterem intelligatur.
„ Rursus igitur dico: unus, & unus; sed natura indivisa
„ est, & perfectio imperfectionem omnem excludens. Unus
„ igitur Deus, quandoquidem per utrumque species una
„ consideratur, quæ integre in utroque ostenditur „. Et
*lib.* 1. *con. Eunom. num* 34. „ Illud vero cui non patet, quod
„ nulla Filii operatio a Patre divisa sit, nec quidquam sit
„ in rerum natura, quod Filio insit, & a Patre alienum
„ sit? *Omnia enim*, inquit, ( *Joann.* 17. *v.* 10. ) *mea tua*
„ *sunt*; *&* *tua mea*. Quomodo igitur Spiritus causam
„ Unigenito soli attribuit ( nempe Eunomius ), & ad ejus
„ accusandam naturam hujus creationem usurpat? Quod si
„ duo principia inter se adversa inducens hæc dicit, una cum
„ Manichaeo, & Marcione conteretur: Sin autem statuit
„ ab uno pendere omnia; quod a Filio factum esse dicitur,
„ id ad primam causam refertur. Quare etsi omnia per
„ Deum Verbum ad esse producta fuisse credimus, tamen
„ universorum Deum omnium causam esse non negamus.
„ Qui autem fieri potest, ut non aperte periculosum sit,
„ Spiritum a Deo dirimere? cum partim quidem Apostolus
„ conjuncte nobis tradat, & modo *Christi*, modo *Dei Spi-*
„ *ritum* dicat, ubi scribit ( *Rom.* 8. *v.* 9. ): *Si quis autem*
„ *Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*. Et rursus
„ ( 1. *ad Corinth. n. v.* 12. ): *Vos autem non Spiritum mundi*
„ *accepistis, sed Spiritum qui ex Deo est*: partim vero Dominus
„ *Spiritum veritatis* nominet ( *Joann.* 15. 2. 6. ), quippe *ipse est*
„ *Veritas*, proceditque a Patre. At hic ( Eunomius ) ad

„ destructionem gloriæ D.N.J.C., ut Spiritum aufert a Pa-
„ tre, ita eum unice Unigenito ad gloriæ eversionem attri-
„ buir, ipsum contumelia, ut sibi videtur, afficiens „. *S. Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 14. num. 15. in fine*: „ Fatendum est, Patrem, & Filium principium esse Spiritus Sancti, non duo principia: Sed sicut Pater, & Filius unus Deus, & ad creaturam relative unus Creator, & unus Dominus, sic relative ad Spiritu Sanctum unum principium. Ad creaturam vero Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus unum principium, sicut unus Creator, & unus Dominus „. Eademque habet *Tract. 39. sup. Joanu. num. 1. & 2., & lib. 1. de Genes. num. 3. & 8.* Atque, ut alios prætereamus, *S. Anselmus lib. de Process. Spir.S. cap.17.* „ Sicut non credimus, Spiritum Sanctum esse de hoc unde duo sunt Pater, & Filius, sed de hoc in quo unum sunt: ita non dicimus duo ejus principia, sed unum principium „. Rem vero totam declarat, & illustrat *S. Thomas par. 1. qu. 36. ar.4. c.* „ Dicendum quod Pater, & Filius in omnibus unum sunt, in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio. Unde cum in hoc quod est esse principium Spiritus Sancti non opponantur relative, sequitur quod Pater, & Filius sunt unum principium Spiritus Sancti. Quidam tamen dicunt, hanc esse impropriam, *Pater, & Filius sunt unum principium Spiritus Sancti*, quia cum hoc nomen *principium* singulariter acceptum non significet personam, sed proprietatem, dicunt quod sumitur adjective: & quia adjectivum non determinatur per adjectivum, non potest convenienter dici, quod Pater, & Filius sint unum principium Spiritus Sancti, nisi *unum* intelligatur quasi adverbialiter positum, ut sit sensus *unum principium*, idest *uno modo*. Sed simili ratione posset dici Pater duo principia Filii, & Spiritus Sancti, idest duobus modis. Dicendum est ergo, quod licet hoc nomen *principium* significet proprietatem, tamen significat eam per modum substantivi, sicut hoc nomen *Pater, & Filius*, etiam in rebus creatis: Unde numerum accipit a forma significata, sicut & alia substantiva. Sicut igitur Pater, & Filius sunt unus Deus propter unitatem formæ significatæ per hoc nomen *Deus*, ita sunt unum princi-

„ pium Spiritus Sancti propter unitatem proprietatis significatæ in hoc nomine *principium* „. Et *in respons. ad I.* „ Si attendatur virtus Spirativa, Spiritus S. procedit a Patre, & Filio, in quantum sunt unum in virtute spirativa, quæ quodammodo significat naturam cum proprietate . . . . Neque est inconveniens, unam proprietatem esse in duobus suppositis, quorum est una natura. Si vero considerentur supposita Spirationis, sic Spiritus Sanctus procedit a Patre, & Filio, ut sunt plures: procedit enim ab eis ut amor unitivus duorum „. Itaque *Joannes Veccus* Photio Latinis improperanti, „ Si ad duo principia refertur Spiritus Sanctus, ubi erit tantundem decantatus unus principatus? „ respondit: „ At ubi Italus deprehenditur duo asserens in Trinitate principia? Id non ostendens, palam inveniris odio, & non veritate ratiocinans, & concludens „. (*Arcudii Collect. pag.* 25.)

## CAPUT VIII.

### *Evincitur Particulam „ Filioque „ licite, & rationabiliter Constantinopolitano Symbolo appositam fuisse.*

XXXVIII. (*Particula „ FILIOQUE „ licite, ac rationabiliter Symbolo apposita fuit*) Processionem Spiritus Sancti a Filio, quam Græci negant, Catholicæ Fidei Dogma esse, ab omnibus, qui æternam salutem consequi velint, fideliter, firmiterque credendum, ex verbo Dei Scripto, ac Tradito adeo perspicue demonstratur, (quod abunde ostendimus), ut qui de hoc dubitet, idem, luceat-ne in meridie sol, an secus, dubitare posse videatur. „ Quod autem credendum, cur non ita profitendum? „ inquiebat *S. Gregorius Nazianz. Orat.* 49. *de Fid. adv. Arian.* in pari causa disputans. Etenim sicut Ariani Nicænos PP. criminabantur, quod vocem *Consubstantialem* Symbolo inseruissent (ut *S. Athanasius Epist. de Synod. n.* 34. *memoriæ tradidit*), ita Græci Latinis vitio dant, quod particulam *Filioque* in Symbolum intulerint. Verum injuria plane. Nam Spiritus Sancti a Filio substantialis Processio, aeque ac Filii Consubstantialitas in S. Scriptura quantum ad rem, vel sensum inveni-

tur, ut ejusdem Sacræ Scripturæ testimonia ( a Num. VIII. ad XV. ) a nobis relata confirmant. (*Fatentibus Græcis licuit PP. Nicænis Symbolo inserere vocem CONSUBSTANTIALEM con. Arianos; ergo licuit Ecclesiis Latinis Symbolo addere particulam FILIOQUE* ) Quamobrem si fatentibus ipsis Graecis, cum quibus nobis res est, licuit Nicænis Patribus vocem *Consubstantialem*, ad Arianorum tergiversationes, & dolos eludendos, Symbolo inserere, ( quemadmodum *S. Athanasius Epist. de Decr. Nicæn. Syn. num.* 18. *ad* 21. *a num.* 25. *ad* 27., *&* *num.* 32., *&* *S. Epiph. adv. hæres. lib.* 2. *par.* 2. *hæres.* 69. *num.*70. fuse probant), licuit & Latinis Ecclesiis ad exprimendum Catholicum dogma de Processione Spiritus Sancti a Filio a Græcis oppugnatum, particulam *Filioque* Constantinopolitano Symbolo adjicere; ac Romano Pontifici, Synodoque Generali Lugdunensi II. eam additionem approbare, usuque consecrare; proindeque *Concilium Generale Florentinum* „ explicationem verborum illo„ rum *Filioque*, veritatis declarandæ causa, & imminente „ tunc necessitate, licite, ac rationabiliter fuisse apposi„ tam „ jure ac sancte definivit.

XXXIX. *Fas est Ecclesiæ Catholicæ ad Catholica dogmata declaranda Fidei Symbolo aliqua addere* ). Et sane Ecclesiæ Catholicæ, ad declaranda Catholica dogmata, & ad hæreticos detegendos, fas esse Professionibus, & Formulis Fidei, atque communi ipsi Fidei Symbolo aliqua addere *SS.Epiphanius, & Gregorius Nazianzenus aperte tradunt*, & *perpetuus Ecclesiæ usus confirmat*. Etenim *S. Epiphanius lib.* 3. *par.* 1. *adv. heres.*, *hæres.* 74. *n.* 14. *in fin.*: ( Eam Fidei formulam „ ( ait ) quæ in Nicæno Symbolo exposita est, & ipsi pro„ fitemur . . . . . quamquam nulla tum de Spiritu Sancto „ instituta quæstio fuerat. Quippe de his, quæ singulis „ temporibus occurrunt, cavere Synodi, ac decernere so„ lent. Quare cum Arius in Filium maledicta conjiceret, „ propterea uberiori quadam disputatione argumentum illud „ est accuratissime tractatum „. Et *in Ancor. num.* 121. Ve„ rum, quoniam ætate nostra aliæ post alias hæreses emer„ serunt adhoc usque tempus . . . . . propterea tam vos, „ quam nos ipsi, & Orthodoxi omnes Episcopi, &, ut „ uno verbo dicam, tota Ecclesia Catholica adversus pro-

„ deuntes identidem hæreses, consentaneeque cum exposi-
„ ta paulo ante SSñorum PP. Fidei formula „ ( scilicet Symbolo Nicaeno, ut ait præced. num. 120 ) „ iis præsertim, „ qui baptismo initiandi sunt, præcipite, ut hoc modo pro-
„ fiteantur, & dicant, Credimus in unum Deum . . . . .
„ Credimus & in Spiritum Sanctum; qui loquutus est in
„ lege, & per Prophetas prædicavit, ad Jordanem descen-
„ dit, in Apostolis loquutus est, & in Sanctis habitat &c. „ Et *S. Gregorius Nazianzenus init. Orat. seu Epist.* 2. *ad Cledon. adversus Appollinarium* inquit; „ Nos ( de seipso loquens ) Nicænæ Fidei, quæ a SS. PP., qui illic ad averten-
„ dam Arianam hæresim convenerunt, nec quicquam un-
„ quam prætulisse, nec quicquam præferre posse: verum
„ fidei illius esse, Deoque adjuvante fore: illud insuper
„ explicantes, quæ ab illis minus plene de Spiritu Sancto
„ dictum est, propterea quod hæc quæstio nondum excita-
„ ta, & agitata fuit „. Quod autem *ad perpetuum Ecclesiæ usum* attinet, nemo ignorat, ab Apostolis pro communi Catholicorum tessera editum fuisse Symbolum, quod Romana Ecclesia Ruffini Aquilejensis tempore ( quemadmodum etiam aliquot post sæculis ), ut ab Apostolis ipsis traditum fuerat, eo teste, retinebat, his verbis expressum, ut videre est in ejus Exposit. in Symbol. „ Credo in Deum Patrem
„ omnipotentem, & in Christum Jesum, unicum Filium
„ ejus, Dominum nostrum: qui natus est de Spiritu San-
„ cto ex Maria Virgine: crucifixus sub Pontio Pilato, & se-
„ pultus: tertia die resurrexit a mortuis: ascendit in Cœ-
„ los, sedet ad dexteram Patris: inde venturus est judicare vi-
„ vos, & mortuos. Et in Spiritum S. Sanctam Ecclesiam. Re-
„ missionem peccatorum. Hujus carnis resurrectionem „. At vero huic formulæ in pluribus Ecclesiis, nulla Ecclesia, ne ipsa quidem Romana, reclamante, aliqua fuerunt addita; quod percipi potest in variis Formulis *a P. Joan. Franc. Bern. Maria de Rubeis Dissert.* 2. *post vitam Georgii Cyprii cap.* 1. §. 2. productis: cujus diversitatis hanc laudatus *Ruffinus in Exposit. Symbol.* §. 3. causam affert, inquiens: „ Commo-
„ nendum puto, quod in diversis Ecclesiis aliqua in his
„ ( Symboli ) verbis inveniuntur adjecta. In Ecclesia tamen
„ Urbis Romæ hoc non deprehenditur factum: Quod ego

„ pro eo esse arbitror, quod neque hæresis ulla illic sum„ psit exordium; & mos ibi servatur antiquus, eos, qui „ gratiam baptismatis suscepturi sunt, publice, idest fide„ lium populo audiente, Symbolum reddere, & utique ad„ jectionem unius saltem sermonis eorum, qui præcesse„ runt in fide, non admittit auditus. In coeteris autem lo„ cis, quantum intelligi datur, propter nonnullos hæreticos, „ addita quædam videntur, per quæ novellæ doctrinæ sen„ sus crederetur excludi „. Cujus antiquissimi Rom. Ecclesiæ moris, iisdem rationibus redditis, testis est & *Berno Ab. Augiæ majoris suo sæculo, nempe XI. in libello de quibusdam ad Missam spectantibus*, tamquam de re tunc etiam temporis notissima.

XL. (*Hæreses post Apostolorum ætatem exortæ Nicænos PP. ad Symboli Apostolici formulam pluribus verbis augendam impulerunt*). Jam, hæreses post Apostolorum ætatem exortæ, sicut peculiares Ecclesias Orientales, & Occidentales ad verba quædam, declarationis causa, primævæ Symboli Formulæ ab Apostolis acceptæ, addenda impulerunt, ita *Nicænos Patres* ad illam, pluribus verbis, pro recta fide luculentius illustranda, tuendaque, aptissimis, augendam induxerunt. Nam PP. illi, *S. Athanasio teste in Epist. de Decr. Nic. Synod.* §. 19. *&* 20. „ Eusebianorum astutia, & „ impia calliditate perspecta .... clarius explicare coacti „ sunt, quid per vocem *ex Deo* intelligendum esset .... „ Quocirca .... sententiam rursus ipsi ex Scripturis col„ ligere sunt coacti, & quæ antea dixerant, eadem cla„ rioribus verbis significare, ac denique scribere *Filium* „ *Patri esse consubstantialem* „: Et infra §. 32. Decuisset ni„ hil de Salvatore, & D. N. J- C. dicere, nisi quæ de illo „ in Scripturis habentur; non vero vocabula, quæ in Scri„ pturis non extent, inducere ... Siquidem longe aptio„ ra sunt veritatis argumenta, quæ ex Scripturis eruuntur, „ quam quæ aliunde. Verum, ut jam dixi, perversitas, „ astutiaque, & versatilis Eusebianorum impietas Episco„ pos (*Nicænos*) impulit, ut verba, quibus illorum impie„ tas everteretur, liquidius exponerent. Hæc quidem ... „ tunc in Synodo acta esse memini &c. „. Si igitur ex S. Athanasio licuit Nicænis PP. ex gravi causa addere Sym-

bolo vocem, quæ in Scripturis SS. non continetur verbis expressis, quare non licuit Ecclesiæ, necessitate impellente, eidem Symbolo addere particulam, quæ (prout ostendimus sup. Num. X.) quoad sensum in iisdem Scripturis invenitur? Concinit cum S. Athanasio *Gelasius Cyzicenus in Comment. Act. Conc. Nicæni lib.2. cap. 26.*, inquiens: „Hæc „ est fides, quam exposuerunt Nicææ SS. nostri PP. ortho- „ doxi Episcopi: primum quidem adversus Arium blasphe- „ mantem, & dicentem, creaturam Filium Dei; & contra „ Sabellium, & Photinum, & Paulum Samosatenum, & „ Manichaeum, & Valentinum, & Marcionem, & adver- „ sus omnem hæresim, quæ orta est in Catholica, & Apo- „ stolica Ecclesia „. Quod plane intelligitur ex lectione Nicæni Symboli Formulæ, quæ est ejusmodi: „ Credimus „ in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibi- „ lium, & invisibilium factorem. Et in unum Dominum „ Jesum Christum Filium Dei, ex Patre natum, unigeni- „ tum, idest, ex Substantia Patris; Deum ex Deo, lumen „ ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum, non fa- „ ctum; consubstantialem Patri; per quem omnia facta „ sunt & quæ in cœlo, & quæ in terra, qui propter nos „ homines, & propter nostram salutem descendit, & in- „ carnatus est, & homo factus; passus est; & resurrexit „ tertia die; & ascendit in Cœlos; & iterum venturus est „ judicare vivos, & mortuos. Et in Spiritum Sanctum „. Reliqui articuli subintelliguntur. Desiderantur autem voces, *descendit in inferna*, vel *descendit ad inferna*, quæ in Formulis Ecclesiarum Aquilejensis, Hispanicarum, & Africanarum extabant, siquidem illis carebant Formulæ, quibus Ecclesia Romana, & Ecclesiæ Orientales utebantur.

XLI. (*Generale Concil. Constantinopol. I. Nicæni Symboli Formulam prolixiorem Ecclesiis proposuit*). Inde, cum (teste *Theodoreto, Hæretice. Fabull. lib. 4. cap. 3. de Eunom., & Act.*)„ Filium quidem primam creaturam Patris præcipuum- „ que esse . . . .; Spiritum vero Sanctum a Filio ante alia „ opera creatum esse „ dixisset Eunomius: ac *Macedonius* (*ibid. cap. 5. de Macedonian.*) „ Spiritum Sanctum, sicut „ Arius, & Eunomius, blasphemare persisteret „; Orientales PP., qui Constantinopoli an. Christi 381. convenerant, ut

Catholica Fides cunctis facilius innotesceret, omniumque animis firmius inhæreret, Symboli Formulam Nicæna prolixiorem Ecclesiis proposuerunt. quæ sic habet: „ Credimus „ in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli, „ & terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Et in „ Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, ex „ Patre natum ante omnia sæcula, Deum ex Deo, lumen „ ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non fa- „ ctum, *homousion* Patri, hoc est, ejusdem cum Patre sub- „ stantiæ, per quem omnia facta sunt; qui propter nos ho- „ mines, & propter nostram salutem descendit de cœlis; & „ incarnatus est ex Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo „ factus est: Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, „ passus, ac sepultus. Et tertia die resurrexit secundum „ Scripturas: ascendit in cœlos: sedet ad dexteram Patris, „ inde venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos: „ cujus regni non erit finis. Credimus in Spiritum Sanctum, „ Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, & „ cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum, qui „ loquutus est per Prophetas. Et unam, Sanctam, Catho- „ licam, & Apostolicam Ecclesiam: Confitemur unum ba- „ ptisma in remissionem peccatorum: Expectamus resurre- „ tionem mortuorum; & vitam futuri sæculi. Amen „. Quo in loco attente observandum est, Concilium illud in hac Symboli Formula dictum voluisse, *Credimus in Spiritum Sanctum* . . . *ex Patre procedentem &c.*, reticita particula *Filioque*, ex gravissima ratione, quod, cum damnandæ essent hæreses Macedonii, Eunomii, Aetii, eas, ut ajunt, *ad hominem* damnatas voluit, definiendo *Spiritum Sanctum Deum, & a Patre procedentem*, quoniam hæc fidei dogmata illa erant, adversus quæ hæretici illi directe, ac blaspheme insurrexerant.

XLII. ( *Si PP. Nicænis, nec non & Constantinopolitanis ad errorum damnationem Apostolico Symbolo quædam addere licuit; pari ratione hoc licuit Latinis Ecclesiis auctoritate Romani Pontificis* ). Si igitur ( ut sup. diximus ) PP. Nicænis, ad Catholica Fidei dogmata adversus Arii, aliorumque hæreticorum errores luculentius illustranda, ac tuenda, Apostolico Symbolo multa addere licuit, ac PP. Constantinopo-

litanis Nicænum Symbolum, ad Eunomii, Aetii, & Macedonii blasphemias repellendas, augere, pari ratione licuit *Latinis Ecclesiis*, *& Conciliis Lugdunensi II.*, *& Florentino Oecumenicis*, ad illorum, qui substantialem Spiritus Sancti a Filio quoque Præcessionem (jam inde ab an.430., lato anathemate in eos, qui negarent, sancitam in Anathemat: 9. Synod. Alexandr. quod relatum est sup. sub Num.XVI.), contra communem Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, inficiabantur, errorem revincendum, particulam *Filioque* Constantinopolitano Symbolo inserere. Præclare in hanc rem S. Thomas *par.* 1. *qu.* 36. *ar.* 2. *ad* 2. „ Dicendum, quod in quolibet Concilio „ institutum fuit Symbolum aliquod propter errorem ali- „ quem, qui in Concilio damnabatur. Unde sequens Con- „ cilium non faciebat aliud Symbolum, quam primum; sed „ id, quod implicite continebatur in primo Symbolo, per „ aliqua addita explanabatur contra hæreses insurgentes. „ Unde in determinatione Chalcedonensis Synodi, dicitur „ (Act. V.), quod „; *illi qui fuerunt congregati in Concilio* „ *Constantinopolitano, doctrinam de Spiritu Sancto tradiderunt,* „ *non, quod minus esset in præcedentibus, qui apud Nicæam* „ *congregati sunt, inferentes, sed intellectum eorum adversus* „ *hæreticos declarantes* „. Quia igitur in tempore antiquo- „ rum Conciliorum nondum exortus fuerat error dicentium, „ Spiritum Sanctum non procedere a Filio, non fuit neces- „ sarium quod hoc explicite poneretur: sed postea, insur- „ gente errore quorumdam, in quodam Concilio in Occiden- „ talibus partibus congregato expressum fuit auctoritate „ Romani Pontificis, cujus auctoritate etiam antiqua Con- „ cilia congregabantur, & confirmabantur - Continebatur „ tamen implicite in hoc ipso, quod dicebatur Spiritus San- „ ctus a Patre procedere „. Quorum similia sunt, quæ *idem S. D. habet in quæst. Disputt. de Poten. qu.*10. *ar.*4. *ad* 13., „ ubi addit: quod doctrina Fidei sufficienter tradita fuit in „ Symbolo Nicæno. Unde SS. PP. in sequentibus Synodis „ non intenderunt aliquid addere; sed propter urgentes hæ- „ reses; id quod implicite continebatur, explicare studue- „ runt. . . . . Et per hunc modum dicendum, quod Pro- „ cessio Spiritus Sancti a Filio, implicite in Symbolo Con- „ stantinopolitano continetur, in quantum continetur ibi, „ quod procedit a Patre; quia, quod de Patre intelligitur,

„ oportet & de Filio intelligi, cum in nullo differant, nisi „ quia hic est Filius, & ille Pater. Sed propter insurgentes errores eorum, qui Spiritum Sanctum a Filio „ esse negabant, conveniens fuit, ut in Symbolo poneretur, non quasi aliquid additum, sed explicite interpretatum, quod implicite continebatur. Sicut, si insurgeret hæresis, quæ negaret Spiritum S. esse factorem „ cœli, & terræ, oporteret hoc explicite poni, cum in prædicto Symbolo non dicatur nisi de Patre. Sicut autem posterior Synodus potestatem habet interpretandi Symbolum „ a priori Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad ejus explanationem, ut ex prædictis patet; ita etiam Romanus „ Pontifex hoc sua auctoritate potest, cujus auctositate sola Synodus Generali congregari potest, & a quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum a Synodo appellatur. „ *Quæ omnia patent ex gestis Chalcedonensis Synodi*. Nec est „ necessarium quod ad ejus expositionem faciendam Universale Concilium congregetur, cum quandoque id fieri prohibeant bellorum dissidia; sicut in VI. Synodo legitur „ (Act. XVIII. in Definit.), quod Constantinus Augustus „ dixit, quod propter imminentia bella universaliter Episcopos congregare non potuit. Sed tamen illi, qui convenerunt quædam dubia in fide exorta, sequentes sententiam Agathonis Papæ determinarunt: scilicet, quod in „ Christo sunt duæ voluntates, & duæ actiones. Et similiter PP. in Calcedonensi Synodo congregati sequuti sunt „ sententiam Leonis Papæ, qui determinavit Christum esse in duabus naturis post incarnationem. Attendi tamen „ debet, quod ex determinatione principalium Conciliorum „ habetur, quod Spiritus S. procedit a Filio. Suscepit enim „ *Chalcedonensis Synodus*, sicut in determinatione dicitur, „ Epistolas B. Cyrilli Alexandrinæ Ecclesiæ Præsulis Synodicas ad Nestorium, & alios per Orientem, in quarum „ una sic (§. X.) legitur: *Quoniam ad demonstrationem suæ „ Divinitatis Christus utebatur suo Spiritu ad magnas operationes glorificari se dicebat ab eo, velut si quispiam dicat eorum, „ quæ secundum nos sunt, insita sibi fortitudine, vel disciplina, vel de quolibet, quia glorificabunt me. Sic enim & est „ in substantia Spiritus speciali, vel certe intelligitur per se*

„ *secundum quod est Spiritus*, *& non Filius*; *sed tamen non est*
„ *alienus ab eo*; *Spiritus enim Veritatis nominatur*, *& est Spi-*
„ *ritus Veritatis*, *& profluit ab eo*, *sicut denique & ex Deo Pa-*
„ *tre*: Nec obstat, quod dicatur, *profluit*, & non *procedit*:
„ quia . , . . hoc verbum *procedit* est communissimum
„ eorum, quæ ad originem spectant. Unde quidquid emit-
„ titur, vel profluit, vel quocumque modo exoritur, ex
„ hoc sequitur, quod procedat. Habetur etiam in determi-
„ natione V. *Concilii*: *Sequimur per omnia SS. PP.*, *& Do-*
„ *ctores Ecclesiæ Athanasium*, *Hilarium*, *Basilium*, *Grego-*
„ *rium Theologum*, *Gregorium Nyssenum*, *Ambrosium*, *Au-*
„ *gustinum*, *Theophilum*, *Joannem Costantinopolitanum*, *Guliel-*
„ *mum*, (ita Librariorum, vel Typographorum oscitantia:
„ Corrige, Cyrillum), *Leonem*, *Proculum*; *& suscipimus*
„ *omnia*, *quæ de recta fide*, *& condemnatione hæreticorum ex-*
„ *posuerunt*:. Patet autem, quod a pluribus horum in do-
„ ctrina fidei trad tum est, quod Spiritus S. procedit a Filio:
„ a nullo vero eorum invenitur esse negatum. Unde non est
„ contra Concilia, sed eis consonum quod Spiritus S. pro-
„ cedere dicatur a Filio „. (*Quousque Græci acceptam ab Ec-
clesia fidem de Process. Spiritus Sancti a Patre*, *& Filio reti-
nuere*, *nullam Latinis de additione particulæ FILIOQUE in
Symbolo facta litem intentarunt*). At vero Græci, quamdiu acceptam a Majoribus suis Catholicam de Spiritus Sancti Processione doctrinam retinuerunt, nullam Latinis de particula *Filioque* Constantinopolitano Symbolo adjecta litem intentarunt; neque eam Additionem inter causas suæ a Latinis defectionis produxerunt; hoc est, tribus fere sæculis, nempe ab an. 589., quo CostantinopolitanumSymbolum cum particula *Filioque* in Hispanis Ecclesiis canendi mos obtinuit, usque ad an. 863., quo Photius Costantinopolitanæ Sedis invasor (*sicuti in Prolegomenon præmonuimus*) a S. Nicolao I. Rom. Pontifice depositus, ira percitus *Epistolam ad Archiepiscopales Thronos per Orientem obtinentes* dedit, in qua Latinis cum alia, tum etiam hanc illius particulæ Additionem exprobravit. Verum, Photio a Sede ejecto, nempe an. 886. (ceu ex *Leone Gramm. Baron. tradit ad eum an. n.* 15. *seq.*) querulæ voces adversus Latinos conticuere usque ad an. 1053., quo ambitiosus, & impius *Michael Cerularius* in ecclesiam Latinam to-

tis suis viribus cœpit debacchari Epistolis, quæ fœdis in Ecclesiam ipsam Latinam, Romanumque Pontificem scatent calumniis, & injuriis; & præcipue ea, quam *Petro Patriarchæ Antiocheno* (qui Legationem, & Epistolam una cum fidei suæ Professione ad *S.Leonem IX.* Rom. Pontif. hoc eodem anno miserat, ut in ejus communione reciperetur) mendaciis respersam dedit, quamque *ex Vallicell. Bibliotec. Codd.* erutam, & latine redditam *Baron. ad an.*1054. *num.*28. *ad* 36. refert. Tandem, qui ex Græcis ipsis, abjecto schismate, & ejuratis erroribus, in quibus versabantur, ad Romanæ Ecclesiæ sinum *in Conciliis Lugdunensi II.*, *& Florentino* rediere, *Additionem illam* ratam habuerunt. Nam *in Concilio Lugdunensi II.* (ut retulimus Num.XIX.) Sum. Pontif. *B. Gregorio X. solemni ritu celebrante*, Constantinopolitanum Symbolum Græce canentes „, quando ventum est ad ar-„ ticulum illum, *qui a Patre*, *Filioque procedit*, solemniter, „ & devote ter cantaverunt „: deinde in Florentino (ut sup. Num.XX.) *Definitioni*, quod „ explicatio verborum illorum, „ veritatis declarandæ causa, & imminente tunc necessita-„ te licite, ac rationabiliter fuerit apposita „, Græci sese submiserunt.

## CAPUT IX.

### *Respondetur Objectionibus Græcorum*

XLIII. Extremum est, ut Græcorum objectionibus satisfaciamus, non amaro animo, sed caritatis, & amoris Spiritu, quoniam Spiritus dilectionis est Sanctus Spiritus Paraclitus; ut cognoscant ipsi, nullius esse ponderis ea, quibus fidunt; &, favente Dei gratia, cognita fidei veritate, nobiscum credant ad majorem Dei ipsius gloriam, & propriam ipsorum æternam salutem. (*Multi Theologi, tum Græci, tum Latini objectionibus Dissidentium Græcorum jam ante responderunt*). At retroactis quidem temporibus Græci plurima in nos argumenta torquebant, quæ strenue repulerunt Catholici Theologi, cum Latini, ut *Aeneas Episcopus Parisiensis lib. de error. Græcor.*, *Ratramnus Monachus Corbejensis Libris* 4. *con. error. Græcor.*, *S. Anselmus Cantuarien.*

*lib. de Process. Spiritus S.*, *Hugo Etherianus Libris 3. de Process. Spir. S. adv. error. Græcor.*, tum *Græci*, *ut Nicephorus Blemmida in Oratt. ad Theodor. Lascarim Iun.*, *& ad Jacobum Bulgariæ Archiep.*, *Joannes Beccus*, *seu Veccus Patriarcha Constantinopolitanus* ( qui acerrime Græcorum doctrinam ante tuebatur ) *potissimum in Opere*, *cui titulus* : *Præscriptiones in dicta*, *ac sententias SS. PP.*, *Manuel Calecas in Lib. de Principiis Fidei Catholicæ cap.3. & 4.*, *ac maxime lib. 4. con. Græcor. error.*, *Demetrius Cydonius lib. de execr. dogmatt. Gregorii Palamæ*, *& de Process. Spir. S.*, cujus Libri Petrus Arcadius collector fuit, & interpres, *Bessarion Archiep. Nicænus Lib. de Process. Spir. S.*, *& in Epist. ad Græcos*, & alii fere innumeri, quos recensere non vacat. Verum ætate nostra pauca dumtaxat ex illis, ad suas in nos criminationes confirmandas, afferunt, aliorum levitate cognita, planeque perspecta. Quare hæc dumtaxat expendenda seligimus, illis tamen prætermissis, quibus jam satisfecimus; cujusmodi sunt ; „ ( *Quibusnam eorumdem Græcor. objectionibus jam superius satisfactum sit*) . „Christum Dominum de Spiritus Sancti Processione Apostolos docentem, ipsum procedere a Patre, „ non vero a se quoque dixisse, quemadmodum dixit, cum „ de ejusdem Spiritus Sancti missione verba fecit „ ; „ PP. præsertim Græcos, profiteri Spiritum Sanctum procedere *per Filium*, non autem *ex Filio* ; nec de Processione „ substantiali Eos loqui: Et , siquidem Spiritus Sanctus „ procederet substantialiter etiam a Filio, illud consequuturum, quod a duobus principiis procederet „. Jam vero, cum demonstraverimus ( Num.IX. ) „ Christum Dominum de „ Spiritu Sancto ajentem, *qui a Patre procedit*, satis indicasse illum a se quoque procedere, iis præcipue spectatis „ quæ præmiserat, vel adjecit „ ; ( Num XI. ) „ ex Missione Spiritus Sancti sicuti a Patre, ita a Filio firmum argumentum elici ad ejusdem ab utroque Processionem naturalem confirmandam „ ; ( Num. XXII. ) præpositionibus *per*, „ & *ex*, eandem causalitatis significandæ vim inesse ; „ testimonia PP., quæ produximus ( Num XXIII. ) de substantiali Processione intelligi oportere ; & demum ( Numer. XXXVII. ) Spiritum Sanctum a Patre, & a Filio tamquam ab uno principio procedere „ , actum ageremus,

quod vetamur veteri proverbio, si ea refellenda nob is proponeremus.

XLIV. ( *Recensentur eorumd. Græcor. objectiones, quibus infra respondetur* ). Igitur Græci ad Latinos, qui Spiritum Sanctum a Filio quoque substantialiter procedere credunt, erroris ( ut ipsi putant ) convincendos, ajunt „ ( *I. Ex Conc. Constantinopolitano I.* ) „ *I. Constantinopolitanam I. Synodum, Generalem II.* non aliam in Fidei Symbolo Spiritus Sancti Processionem credendam Fidelibus proposuisse, quam Processionem a Patre; atque ideo PP. Constantinopolitanos Processionem Spiritus Sancti etiam a Filio in dogmatum, quæ credenda essent a Fidelibus, numero non habuisse: „ ( *II. Quod in antiquis fidei Formulis hujus Process. mentio non fiat* ) „ II. Nullam hujus Processionis in antiquis Fidei Formulis mentionem fieri: „ ( *III. Ex Theodoreto Cyri Episcopo* ) „ III. Processionem Spiritus Sancti a Filio, *a Theodoreto* Cyri Episcopo contra 9. S. Cyrilli Alexandr. anathematismum disputante, ut impiam, & blasphemam traduci, nec Theodoretum propterea reprobatum fuisse a Synodo Generali Ephesina; ( *Ex Symbolo Theodori Mopsuesteni* ); quæ ne oblatum quidem a Charisio Presbytero Symbolum Theodori Mopsuesteni, ( in quo proponebatur de Spiritu Sancto „ sed nec „ Filium eum putamus, neque per Filium suam subsisten- „ tiam habentem ) „ ob negatam Spiritus Sancti a Filio substantialem Processionem reprobavit: „ ( *Ex S. Joann. Damasceno* ) „. Itidem, a S. Joanne Damasc. eandem Sancti Spiritus a Filio Processionem pluribus in locis diserte negari; potissimum *lib. 1. de Fid. Orthodox. cap.* 8., ubi ait: „ „ Spiritum Sanctum & ex Patre esse, & Patris Spiritum no- „ minamus: at vero eum ex Filio esse non dicimus „: & *cap.* 12. ubi subdit: „ Spiritus Sanctus . . . . Filii quoque „ Spiritus dicitur; non velut ex ipso, sed *per ipsum* ex Pa- „ tre procedens. Solus enim Pater auctor est „. ( *IV. Ex S. Cyrillo Alexandr., teste Theodoreto* ). „ IV. „ *S. Cyrillum* a Theodoreto reprehensum sententiam de Processione Spiritus Sancti a Filio mutasse, teste *Theodoreto Epist. ad Joan. Antiochen.* narrante se in litteris Aegyptiorum, hoc est S. Cyrilli ad memoratum Joan. Antiochen. legisse, „ Spiritum „ Sanctum neque ex Filio, neque per Filium existentiam

„ habere ; sed a Patre procedere, propriumque Filii dici, „ quia consubstantialis est „. ( *V. Ex S. Augustino* ). V. *S. Augustinum Tract.* 100. *in Joan. num.* 4. affirmare „ „ ex eo dici Spiritum Sanctum accipere de Filio, quia acci- „ pit de Patre, unde accipit Filius „; *& lib. de Fid.*, *& Symbol. num.* 19. „ nec tamen id quod est ( Spiritum San- „ ctum ) nulli debere, sed Patri, ex quo omnia „. ( *VI. Supervacaneam*, *imo etiam erroneam*, *absurdamque esse assertionem Psocess. Spiritus Sancti a Patre*, *& Filio* ). „ VI. Cum perfecta, numerisque omnibus absoluta Spiritus Sancti a Patre Processio sit, supervacaneam esse ejusdem a Filio Processionem, qua admissa, admittendum quoque esset Filium prius genitum fuisse, quam spiratum Spiritum Sanctum, ac Spiritum Sanctum qui a Filio Patris procedat, Patris esse nepotem. ( *VII.Ex Decreto Conc. Generalis Ephesini* ). „ VII. Ut autem ostendant, particulam *Filioque* contra Ecclesiæ leges insertam Symbolo Constantinopolitano fuisse, Græci afferunt Decretum *ab Ephesina Synodo Generali* editum his verbis : „ Statuit S. Synodus alteram fidem nemini licere „ proferre, vel conscribere, aut componere præter defini- „ tam a SS. PP., qui in Nicæa cum Spiritu Sancto congre- „ gati fuerunt. Qui vero ausi fuerint aut componere fidem „ alteram, aut proferre, vel offerre converti volentibus ad „ agnitionem veritatis . . . . , hos quidem, si sint Episco- „ pi, aut Clerici, alienos esse ab Episcopatu, & Clericos „ a Clericatu decrevit : si vero laici fuerint, anathemati „ subjici „: ( *Ex ex Synodo Generali Chalcedonensi* ; *Vigilio PP.* ; *& S. Agathone PP.* ; *nec non ex Synodo Generali VII.* ) : Quod decretum *Synodus Chalcedonensis in Definit. Fidei* ; *Romanique Pontifices*, *Vigilius in Epist. ad Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum*, *& S. Agatho in Epist. ad Imperatores, lecta*, *& approbata in VI. Synodo* ( Act. IV. ) ; & denique *VII. Synodus* confirmarunt. Itaque in Synodo Ephesina vox *Deipara* expressa quidem in Fidei Definitione fuit, non tamen Symbolo addita, quamquam ad Nestorii errorem confodiendum maxime idonea videretur ; cumque in *Conc. Chalcedonen. Act. II.* „ Magnificentiss. ; & gloriosiss. Judices, & „ ampliss. Senatus dixissent . . . , „ festinate sine ullo ti- „ more, & gratia, atque inimicitia fidem puram exponere,

„ ita ut & qui videntur non eadem cum omnibus sapere, „ per veritatis agnitionem ad concordiam revocentur. Scire „ enim vos volumus, quia tam diviniss., & piiss. orbis ter- „ ræ Dominus, quam nos Catholicam fidem a SS. 318., & „ a SS. 150., nec non etiam & a cœteris Sanctiss., & glo- „ librioss. PP. traditam custodimus, & secundum ipsam cre- „ dimus „. „ Reverendiss. Episcopi clamaverunt: „ Expo- „ sitionem alteram nullus facit, neque tentamus, neque au- „ demus exponere. Docuerunt enim PP., & in Scriptis cu- „ stodiuntur, quæ ab eis sunt exposita; & citra ea dicere „ non possumus „. Tum: „ Sufficiunt, quæ exposita sunt; „ alteram expositionem non licet fieri „. Et mox „: suffi- „ ciunt, quæ exposita sunt, alteram expositionem non li- „ cet fieri „. Et demum: „ In Scriptis expositionem non „ facimus. Regula est, quæ prædicat. Sufficiunt, quæ sunt „ exposita. Regula vult aliam expositionem non fieri. Ea „ quæ sunt PP. teneantur „. (*Et ex S. Leonis III. senten- „ tia*). Et postremo, quod maxime ad rem facere Græci putant, *S. Leo III.* receptam a Gallicanis Ecclesiis Constatinopolitanum Symbolum cum additione particulæ *Filioque* canendi consuetudinem ægre tulit, & „ pro amore, „ & cauthela Orthodoxæ Fidei fecit Scuta argentea duo scri- „ pta utraque Symbolo, unum quidem litteris Græcis, & „ aliud Latinis „; ut in *lib. Pontif.*, *seu de Gestis Roman. Pontif. in Leone III. num.* 84. legitur, quod & *Baron. ad an.* 809. *num.* 62. confirmat. Hæc illa sunt, quæ nunc penes Græcos fundamenti loco esse videntur, ad quæ breviter pro instituti nostri ratione respondebimus.

XLV. (*Responsiones. Ad primum objectum. De Concilio Constantinopolitano I.*) Ad I. Atque ut a primo ordiamur; ex quo Spiritus Sanctus a Patre originem ducat, consequens est, ipsum a Filio quoque naturaliter emanare, ut (Num. VIII.) probavimus. Hinc PP. Constantinopolitani Spiritus Sancti Processionem a Patre credendam in Symbolo explicite proponentes, ejusdem Processionem a Filio quoque implicite credendam definierunt. Cur autem hanc explicite non proposuerint, inde profectum est, quod illorum ætate nondum insurrexerant, qui substantialem Spiritus Sancti a Filio Processionem inficiarentur, ut monuit *S. Thomas*, cujus

locum attulimus (Num. XLII.) non quod eandem Processionem in dogmatibus fidei ab omnibus vel explicite, vel implicite credendis numerandam esse non putarent, ac diserto non docerent. Nam Concilio illi interfuere, ac Formulæ Fidei in eo conditæ subscripsere, ex Provincia Palestinæ *S. Cyrillus Hierosol.*, & ex Provincia Cappadociæ *S. Gregorius Nyssen.*, & *S. Gregorius Nazianz.*, quorum præclara pro Catholico dogmate, de quo agitur, testimonia dedimus (Num. XII., & XXIII.), & ex Provincia Lycaoniæ *S. Amphilochius Iconien.*, cui *S. Basilius. M. suum de Spiritu Sancto librum inscripsit*, in quo naturalis Spiritus Sancti a Filio etiam Processio traditur: *de quo libro* mentionem idem S.Amphilochius agit *in Epist. Synodica suo, Patrumque illius Provinciæ nomine emissa*, cum *Iconii* illos coegerit an. 378. ut, quod de Spiritu Sancto credendum esset, cuidam remotæ Ecclesiæ suo viduatæ Pastore, a qua interrogatus fuerat, rescriberetur: Ait siquidem: „ Optabamus . . . Episcopum „ Basilium præsentem excipere in nostra Synodo, & so„ cium, seu potius principem habere in dandis ad vos litte„ ris: verum . . . . gravis eum morbus detinuit, ne adve„ niret . . . Neque vero Sanctam nostram Ecclesiam passi „ sumus illius etiam voce carere; sed habentes Librum ipsius, „ quem de hoc particulariter argumento elaboravit, ipsum „ pariter nobiscum in scripto loquentem obtinemus „. Deinde exponit, cur Nicæna Synodus de Spiritus Sancti Divinitate quæstionem non attigerit; cum scilicet nondum nata tunc temporis esset; sed ex iisdem fontibus, quibus Filii Divinitas, & cum Patre consubstantialitas dimanat, Spiritus Sancti Divinitatem comprobari testatur, quod ex Christi quoque verbis confirmat, nempe, *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* (*Matth.* 28. *v.* 19.): Eadem, pari habita ratione, & nos etiam superius ( *Num. XLI. in fine* ) observavimus.

XLVI. ( *Ad II. Quoad antiquas Fidei Formulas* ) Ad II. Vix in Hispania Spiritus Sancti Processio a Filio palam negari ab hæreticis cœpit, *S. Leo M. Regulam* a nobis allatam (Num. XVII.) *Fidei ab omnibus profitendæ ad illarum Provinciarum Episcopos misit*, in qua Spiritus Sanctus a Patre, Fi-

lioque procedens dicitur; eademque Spiritus Sancti a Filio quoque Processio in dogmatibus Fidei *a Gennadio in lib. de Dogmatt.*, *ab Avito Viennensi in lib. de Divinit. Spiritus Sancti*, *a S. Fulgentio in lib. de Fide ad Petrum*, *aliisque* recensita fuit.

XLVII. (*Ad III. De Teodoreto Cyri Episcopo*). Ad III. Sunt qui existimant, *a Theodoreto Anathematismum 9. S. Cyrilli* ideo reprobatum, quod ille æstu disputationis abreptus, odioque in Cyrillum percitus, per summam calumniam existimasset a S. Cyrillo Spiritum Sanctum proprium Filii nuncupatum fuisse Apollinarii, Eunomii, ac Macedonii sensu, qui Spiritum Sanctum creaturam creaturæ, hoc est, ab ipso Filio creatum esse impie asserebant. Etenim *Theodoretus in Epist: ad Monasteria de S. Cyrillo* scribit: „ blasphe„ mat & Spiritum Sanctum, non ex Patre ipsum procedere „ dicens secundnm Domini vocem, sed ex Filio esse. Iste „ vero Apollinarii seminum fructus est; propinquat vero „ Macedonii malignæ culturæ „: Et *in Reprehens. ad eundem* „ *Anathemat.* inquit: „ Proprium autem Filii Spiritum, si„ quidem ut ejusdem cum eo naturæ, & ex Patre proceden„ tem dixit, simul confitebimur, & tamquam piam susci„ piemus vocem. Si vero tamquam ex Filio, aut per Filium „ existentiam habeat, hoc . . . rejiciemus „: Et demum *in Comment. in Epist. ad Rom. cap. 8. v. 11.* ait „ Sanctum Spi„ ritum (Apostolus) & Dei appellavit & Christi; non quod, „ ut volunt execrandi hæretici, ex Deo per Filium creatus „ sit, sed quia est ejusdem cum Patre, & Filio substan„ tiæ „. In quo sensu substantialem Spiritus Sancti a Patre, & Filio Processionem vere a Theodoreto credi, & confiteri nemo non videt. (*De Symbolo Theodori Mopsuesteni*). Nec desunt qui pari ratione ab Ephesinis PP. accipi potuisse recitata in objectione verba Symboli Theodori Mopsuesteni a Charisio Ephesinæ Synodo oblati opinantur. Ac præterea animadvertunt, Concilia ad unum aliquem errorem condemnandum convocata, de aliis, quæ forte incidant, silere; atque ita *in Conc. Nicæno I. Consubstantialitatem Filii cum Patre* expresse definitam, non vero consubstantialitatem Spiritus Sancti cum eodem Patre, & Filio; quamquam Arius hanc quoque inficiaretur. Tum, ad rem nostram propius

dus commemorandus non fuisset, si Damascenus non ad naturalem Processionem, sed ad temporaneam tantum donorum missionem, ac per dona ad manifestationem respexisset. Quæ profecto *Damasceni* testimonia, si præ oculis habere *S. Thomas Aquinas* potuisset non solum dixisset ( *I. par. qu. 36. ar. 2. ad 3.* ) quod a *S. Joanne Damasceno* ex vi verborum illorum, quæ habet cap.8. lib. 1. de Fid. Orthod., quæque sup. objectionem referentes attulimus, non negatur, Spiritum Sanctum esse a Filio, sed alibi ab eodem S.Doctore hoc doceri asseruisset. Quamquam vero *eadem Damasceni verba referens in quæst. Disput. de Poten. qu.10. ar.5. ad 15.* ait: „ In hoc quod „ Damascenus Spiritum S. esse Filii Spiritum confitetur, dat „ intelligere, quod origo Spiritus Sancti aliquo modo sit a „ Filio.

XLVIII ( *Ad IV. De S.Cyrillo Alexand.* ) Ad IV. *S.Cyrillus in Epist. ad Jo. Antioch. missa per Paulum Episc. Emesæ* sic habet: „ Non enim ipsi ( PP. Nicæni ) loquuti sunt, sed ipse „ Spiritus Dei ac Patris, qui procedit quidem ex ipso; *nec* „ *ob id tamen secundum essentiæ rationem est alienus a Filio*: „ idque nobis Sanctorum, qui mysteria tradiderunt, verba „ confirmant. Etenim *in Apostolorum Actis* ita scriptum est „ ( *16. v.7.* ): *Venientes autem circa Mysiam, tentabant ire in* „ *Bithiniam, & non permisit eos Spiritus Jesu*. Scribit & Di„ vinus *Paulus* ( *Rom.8. v.9.* ), *qui autem in carne sunt, Deo* „ *placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in Spi*„ *ritu. Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem* „ *Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*. Quod autem „ nonnulli ex eis, qui recta pervertere solent, voces meas „ detorquent ad id quod eis videtur; istud Sanctitas Tua non „ miretur cum sciat, cujusvis hæreseos Sectatores ex divina „ Scriptura sui erroris occasiones colligere, ea, quæ per „ Spiritum S. recte dicta sunt, perversa intelligentia corrum„ pendo; atque ita inextinguibilem flammam super capita „ sua congerendo „. Et *in Epist. ad Acacium Melitenen.* ait: „ Quæ vero recte contra Nestorii blasphemias scripsimus, ea „ ejusmodi esse, ut nulla nobis ratione persuaderi possit, „ ut recte scripta esse negemus . . . . Quin & nos quoque „ una vituperant, quasi iis, quæ jam scripsimus, contra„ ria senserimus . . . . id quoque contemnatur: nam per

„ gratiam Salvatoris nostri sana mente sumus, neque ratio-
„ nis usu excidimus . . . . Nec vero simpliciter quidam alie-
„ nantium, & inconsideratorum contra nos evomant verba,
„ ea, quæ sunt Apollinarii, vel Arii, sive Eunomii me sa-
„ pere diffamantes, sicut in Epheso conscripserunt. Ego
„ per gratiam Salvatoris semper fui Orthodoxus . . . neque
„ illa, quæ sunt Apollinarii sapui unquam: absit; æque ea,
„ quæ alterius cujuslibet hæretici: imo vero anathematizo
„ illos „. Quibus verbis calumniam, in cujus suspicionem vocatus a Theodoreto fuerat, a se amolitur, quod nempe ex Arii, Eunomii, Macedonii hæresi Spiritum S. a Filio esse dixisset; tam longe autem abest, ut S. P. Cyrillus traditum a se de ejusdem Spiritus S. etiam a Filio substantiali Processione dogma revocarit quin imo in aliis Operibus postea ab eo editis eadem veritas, quam antea professus fuerat, exposita reperitur. Etenim *in Dialogis de Trinit.* ( quos *P. Michael le Quien Dissert.* 1. *Damascen. num.* 6. *a S. Cyrillo* post sancitam cum Orientalibus pacem scriptos fuisse probat) *Dial.*7. Spiritum S. non esse alienum, substantive sejunctum a Filio affirmat, quod ex ipso, & in ipso, & ipsius proprius sit: Et *Dial.*8. Spiritum S. a Filio esse, & proprium ipsius confirmat.

XLIX. ( *Ad V. De S. Augustino* ). Adeo perspicua sunt *S. Augustini* pro substantiali Spiritus S. a Filio Psocessione testimonia, ut eum Photius ipse sibi adversari ultro fateatur. Legantur quæ *ex ejus Libris de Trinit., atque ex Tract.* 99. *in Joann.* attulimus ( *Num. IX. XXXVI. & seq.* ). Cum igitur *Tract.*100. *in Joann.* illa Christi de Spiritu S. verba *de meo accipiet*, eo sensu exposuerit, nempe, *quia accipit de Patre, unde accipit Filius*: & in *Lib. de Fide & Symb.* dixerit, *Spiritum S. id, quod est, debere Patri, ex quo omnia*, non hoc voluit, *Spiritum S. a Filio quoque non accipere, nec Filio quoque debere, quod est*, sed non accipere, & non debere, ut contendebant hæretici, qui Spiritum S. a Filio, ut creaturas cœteras, factum effutiebant. Quod ipse S. D. *eodem ipso Tract.* 100. *num.*4. declarat, inquiens: „ Quod autem ait,
„ *de meo accipiet, & annuntiabit vobis*, catholicis audite au-
„ ribus, catholicis percipite mentibus. Non enim propterea,
„ sicut quidam hæretici ( Macedoniani ) putaverunt, minor

„ est Filio Spiritus S., quasi Filius accipiat a Patre, & Spiritus S. a Filio quibusdem gradibus naturarum. Absit hoc „ credere, absit hoc dicere, absit a Christianis cordibus cogitare. Denique continuo solvit ipse quæstionem; &, „ cur hoc dixerit, explanavit. *Omnia*, inquit, (*Joann.* 16. *v.* 15.) *quæcumqut habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*. Quid vultis amplius? Ergo de Patre accipit Spiritus S., unde accipit Filius: quia in hac Trinitate de Patre natus est Filius: de Patre procedit Spiritus S. Qui autem de nullo natus sit, de „ nullo procedat, Pater solus est „. Idque vehementer confirmatur ex illis, quæ leguntur Tract. 99. num. 6. „ Hic aliquis forsitan quærat; utrum & a Filio procedat Spiritus S. „ Filius enim solius Patris est Filius; & Pater solius Filii est „ Pater; Spiritus autem S. non est unicus eorum Spiritus, „ sed amborum. Habes ipsum Dominum dicentem (*Matt.* 10. *v.* 20.) *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*: habes & *Apostolum* (*in Epist. ad Galat.* 4. *v.* 6.): *misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra*. Numquid duo sunt, alius Patris, alius Filii? „ Absit. *Unum enim corpus*, ait (*ad Ephes.* 4. *v.* 4.), cum „ significaret Ecclesiam; moxque addidit, & *unus Spiritus*. Et vide quomodo illic impleat Trinitatem: *Sicut vocati estis*, inquit (ibidem) in *una spe vocationis vestræ*. „ *Unus Dominus*: hic utique Christus intelligi voluit: restat, ut etiam Patrem nominet: sequitur ergo, *una Fides, unum baptisma; unus Deus, & Pater omnium, qui super omnes, & per omnes, & in omnibus nobis*. Cum ergo sicut unus Pater, & unus Filius, ita sit & unus Spiritus; „ profecto amborum est; quandoquidem dicit ipse *Christus Jesus*, *Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*: Et dicit „ *Apostolus*: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra*. Habes alio loco eundem Apostolus dicentem (*Rom.* 8. *v.* 11.): „ *Si autem Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum ex mortuis, habitat in vobis*: hic utique Spiritum Patris intelligi voluit; „ de quo tamen alio loco (*ibid. v.* 9.): *quisquis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*. Et multa alia sunt „ testimonia, quibus hoc evidenter ostenditur & Patris, & „ Filii esse Spiritum, qui in Trinitate dicitur Spiritus Sanctus.

L. ( *Ad VI. De supposita a Græcis Dissidentibus supervacaneitate, ac erroneitate assertionis, quod Spiritus S. procedat quoque a Filio* ) Ad VI. Argumenta *tria* a ratione ducta, quæ *VI. loco* objiciuntur, jamdudum *S.Thomas* sibi proposuerat, & more suo perspicue, solideque refuraverat. *Primum* quidem *par.1. Theolog. Sum. qu.36. ar.2. ad 6.* his verbis: „ Per „ hoc quod Spiritus Sanctus perfecte procedit a Patre, „ non solum non superfluum est dicere, quod Spiritus „ Sanctus procedat a Filio, sed omnino necessarium: quia „ una virtus est Patris, & Filii: Et quidquid est a Patre, „ necesse est esse a Filio, nisi proprietati filiationis repu„ gnet. Non enim Filius est a seipso, licet sit a Patre „. *Alterum* vero *quæst. ead. ar.3. ad 3.* „ Sicut generatio Filii est „ coæterna generanti ( unde non prius fuit Pater quam gi„ gneret Filium ), ita Processio Spiritus S. est coæterna suo „ principio. Unde non fuit prius Filius genitus, quam Spi„ ritus S. præcederet; sed utrumque æternum est. „ *Tertium* denique *in art. 5. qu.10. de Poten. ad 5.* hac ratione. „ In hu„ mana origine dicitur nepos, qui eodem modo procedit a „ Filio. Spiritus autem S. non procedit in divinis a Filio, „ sicut Filius a Patre; & ideo ratio non sequitur „. Quod S. *Athanasius* antiquitus dixerat *Epist.4. ad Seraph. num. 4.* „ Si Spiritus S. a *Filio accipiet*, & *ab ipso datur* ( ita enim scri„ ptum est ), protinus inferunt ( Ariani; illi enim hæc obji„ ciebant ); ergo avus est Pater, & nepos ejus est Spiritus „ Sanctus „: quibus sic *num.3.*, allatis pluribus S. Scripturæ testimoniis, reponit: „ Discite, in Scripturis Spiritum nun„ quam vocatum esse Filium, sed Spiritum S., & Spiritum „ Dei . . . Etenim Filius substantiæ, ac naturæ Patris pro„ pria est proles . . . Item Spiritus, qui Dei dicitur & in „ ipso est, non alienus est a Filii natura, nec a Patris Divi„ nitate: „ & *inf. num.4.* „ Itaque Spiritus est . . . . Verbi „ substantiæ proprius, Dei item proprius, & in ipso esse di„ citur . . . nec aliter sunt, quam ut Pater est Pater, & non „ avus; & Filius est Dei Filius, & non Pater Spiritus; & „ Spiritus S. est Spiritus S., & non Patris nepos, nec Filii „ frater „. Et antea *in Epist.1. ad eund. num.15.* Arianorum verba retundens: „ Hæc turpissimi homines cavillando effu-

„ tiunt, qui curiosius profunda Dei scrutari conantur, quæ „ nemo novit nisi Spiritus Dei, de quo illi tam impia sen„ tiunt . . . . Respondeant igitur, utrum Pater ex Patre „ sit, & num alius cum illo genitus fuerit? . . . quis item „ eornm Pater, & Avus, qui proavus &c.. . . .Haud abs re „ fuerit ita illudentibus vicissim illudere, ut saltem ex hu„ jusmodi absurda, & impia interrogatione propriam insi„ pientiam percipere valeant . . . . Hæc de Divinitate sci„ scitari non decet: siquidem non est Deus similis hominum, „ ut ista humana de illo percunctari quis audeat . . . . nec „ divisam habet naturam . . . . neque sui divisione Filium „ generat, ut & alterius ipse Pater fiat . . . . Itaque Filius „ non generat, ut ipse genitus est, sed totus est totius „ imago; & splendor. . . . . Nemo igitur, nisi mentecap„ tus dixerit, vel cogitaverit . . . . nomen Avi Patri con„ venire „.

LI. (*Ad VII., & ultimum. De Conc. Ephesini Decreto de non componenda altera fide &c.*) Ad VII. Ex Argumentis vero, quæ contra additamentum particulæ, *Filioque*, Græci ex veteribus Ecclesiæ monumentis afferunt; *Primum* a Synodi Ephesinæ Decreto de altera fide non proferenda, vel conscribenda, aut componenda, præter eam, quæ definita est a SS. PP. Nicaeae congregatis, depromptum, quam inane, & leve sit, I. ex causa, qua Decretum illud editum fuit, II. ex ejus Decreti sensu a S. Cyrillo, & ab aliis exposito, atque III. ex jure, quo Ecclesia perpetuo usa est, facile deprehenditur. Etenim *Ephesina Synodus Act. VI.* perlectis libellis *a Charisio Presbytero, & Philadelphiæ Oeconomo* oblatis, in quibus erat exemplum expositionis Symboli depravati, Decretum illud tulit, cui hæc subjecit: „ Si„ mili etiam modo, si qui inventi fuerint vel Episcopi, vel „ Clerici, vel Laici, sive sentire, sive docere ea, quæ con„ tinentur in oblata expositione a Charisio Presbytero de „ Unigeniti Filii Dei incarnatione, sive scelerata, & per„ versa Nestorii dogmata, quæ & subnexa sunt, subjaceant „ sententiæ S. hujus, & Universalis Synodi: ut videlicet „ Episcopus quidem removeatur ab Episcopatu, & sit depo„ situs; Clericus vero similiter excidat a Clericatu; si vero „ Laicus quis sit, & ipse anathematizetur, sicut superius

„ dictum est „. Ex quibus patet, Synodum Ephesinam, nomine alterius fidei, fidem propositæ in Nicaeno Symbolo contrariam intellexisse, non vero Symbolum, aut fidei Professionem, in quibus doctrina Nicæno Symbolo comprehensa, vocibus quibusdam ad novos errores repellendos additis, explicaretur. Ita quidem Decretum illud *S. Cyrillus Alexandrin.*, cui mens Synodi plane cognita erat, intellexit. Nam *in Epist. ad Acacium Melitenæ Episc.*, nihil se contra Ephesinæ Synodi Decretum egisse, eo quod Orientalium Episcoporum Confessionem Nicæno Symbolo prolixiorem admisisset, quia hæc nihil fidei in Nicæno Symbolo expositæ repugnans continebat, his verbis demonstrat: „ Intelligo . . .
„ & hoc quoque illos nobis objicere, nempe quod fidei expositionem, sive novum Symbolum receperimus, quasi vetus illud, venerandumque aspernati. At *stultus quidem stulta loquetur, & cor illius vana meditabitur* (*Isaj. 32.v.6.*). Illud tantummodo dicimus, nos neque novam fidei expositionem ab ullo exegisse, neque ab aliis innovatam admisisse. Sufficit enim nobis Divina Scriptura, Sanctorumque PP. prudentia, & Symbolum Fidei ad omnia recta dogmata apte, riteque concinnatum. Quia vero SSmi Orientales Episcopi, cum Ephesi essent, a nobis dissentiebant; eaque de causa, quasi blasphemiarum Nestorii laqueis irretiti tenerentur suspecti erant, ut eo crimine se liberarent, inculpatæque fidei amatoribus per omnia satisfacerent, ac Nestorianæ impietatis se expertes esse ostenderent, Apologiam composuerunt, & id quidem admodum prudenter. Tantum abest, ut hoc istorum factum aliqua omnino nota, aut reprehensione dignum videatur. Quid enim, si ipse Nestorius, eo tempore, quo a nobis omnibus illi proponebatur, oportere, ut sua ipse dogmata condemnaret, veritatemque amplecteretur, scriptam iis de rebus Confessionem exhibuisset, quispiam-ne dicturus erat, illum nobis novum Fidei Symbolum conscripsisse? Quid igitur temere conviciis insectantur SSmos Phæniciæ Episcopos, eorum *Consensum novum Symbolum* appellantes, quem illi utiliter & necessario ediderunt, ut nimirum se purgarent, eosque demulcerent, qui ipsos Nestorianam doctrinam approbasse existimaverant? S. quip-

„ pe, *& Oecumenica Synodus, quæ Ephesi* convenerat, ne-
„ cessario providit, non oportere aliam Fidei Expositionem
„ in Ecclesias Dei inferre, præter eam, quæ jam extabat,
„ & quam Bmi PP. nostri S. Spiritu loquuti definiverant.
„ Illi tamen ab hac semel, nescio quomodo, dissentientes,
„ & quod neque recte sentirent, neque Apostolicis, &
„ Evangelicis dogmatibus adhaererent, in suspicionem ad-
„ ducti, numquid taciturnitate ab hac ignominiosa nota se
„ liberassent, an plena potius satisfactione, suæque sen-
„ tentiæ declaratione? Atqui *divinus Christi discipulus* scri-
„ ptum reliquit (*I. Petri 3. v. 15.*): *Parati semper ad satisfa-
„ ctionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est,
„ spe*. Qui ergo hoc vult facere, nihil utique novi molitur,
„ nec Fidei Expositionem innovare deprehenditur; sed po-
„ tius eam, quam de Christo habet, fidem interrogantibus
„ perspicuam reddit„. Igitur juxta Ephesinæ Synodi De-
cretum, Symbolum Nicænum, spectata sive Fidei Formu-
la, sive Fide, quæ in ea Formula continebatur, *teste S. Cy-
rillo*, intactum ita servare oportebat, ut nefas non esset
Professiones Fidei novas, in quibus Nicaena fides luculen-
tius exponeretur, condere, & offerre. Et sane ejus Syno-
di PP. Act. I. dixerunt: „ Recitetur Fides, quam 318. PP.
„ & Episcopi Nicaeae quondam congregati exposuerunt, ut
„ sententiis ad fidei doctrinam spectantibus cum Expositio-
„ ne collatis, consentientes quidem confirmentur, dis-
„ sentientes autem rejiciantur„: Lectisque *S. Cyrilli Ale-
xandr.*, *& Nestorii Archiep. Constantinopolitani* mutuis Lit-
teris, illas S. Cyrilli, quæ Nicænæ Fidei consentanea erant,
approbaverunt his verbis: „ quæ in brevi, & capitulatim a
„ S. Nicaena Synodo dicta sunt, exponens tua religiositas
„ subtiliter, & gradatim, manifestiorem nobis, & effica-
„ ciorem revelationem editæ S. Fidei fecit, ut in his, quæ
„ dicta sunt, nihil ambiguum sit, omnibus invicem con-
„ sonantibus, & confirmantibus. Hæc . . . . interloqu-
„ tum est omne S. magnumque Concilium„: has vero,
nempe Nestorii litteras, quæ a Nicaena fide abhorrebant,
damnarunt. Et *Act. VI.* depravatum Symbolum ejusque ex-
positionem rejecerunt, non vero Charisii Confessionem,
quamvis hæc Nicænæ quidem Formulæ conformis, nonnullis

tamen vocibus, quæ in Nicæna desiderabantur, expressa foret. Eadem porro, quæ *S. Cyrilli Alexandr.* de Ephesini Decreti sensu, Patrum Conc. Chalcedonensis sententia fuit. Nam hæreticis S. Leonem M. violati Ephesini Decreti accusantibus, responderunt: „ Nobis impenetrabilem in omni
„ errore propugnatorem Deus providit, & Romanæ Eccle-
„ siæ Papam ad victoriam præparavit, doctrinis eum per
„ omnia veritatis accingens, ut quemadmodum fervens af-
„ fectu Petrus, & hic affectu ferventiore decertans, omnem
„ ad Deum sensum, intelligentiamque perducat. Sed ne
„ quis fidei ejus concordiam vitans, & propriæ seductionis
„ convictionem celare contendens, quasi peregrinam quan-
„ dam & ignoratam regulis, epistolæ ejus seriem accuset,
„ asserens quod non liceat cuiquam exponere fidem præter
„ Patres, qui apud Nicaeam concorditer convenerunt . . .
„ Deceret Ecclesiæ filios nihil amplius excogitare, quam
„ Symbolo constat esse declaratum; sed quia multi a recta
„ linea per aufractus erroris exorbitant, novum quoddam
„ sibimet iter mendacii construentes, necesse nobis est . . .
„ commenta quoque eorum (devia salutaribus adjectioni-
„ bus) refutare, non ut novum ad pietatem, quasi fidei
„ desit, semper aliquid exquirentes, sed ut contra ea, quæ
„ ab illis innovata sunt, excogitantes, quæ salubria judi-
„ cantur . . . . Sic Basilius in Epistola . . . S. Spiritus
„ doctrinam diligentius tradidit . . . . Sic quoque Damasus
„ Romanæ Urbis decus ad justitiam, litteris ad Paulinum da-
„ tis, dispensationis sacramenta patefecit . . . Sic Athanasius
„ ad Epictetum . . . Sic tamquam propriam Gregorii ad Cle-
„ donium Epistolam ubique proferimus . . . . . . Non igi-
„ tur nobis admirandi Romanæ Urbis Præsulis Epistolam
„ velut innovationis offendiculum criminentur, sed si non
„ est Divinis Scripturis coaptata redarguant; si non præce-
„ dentium PP. sententiis adunata; si non impiorum accusa-
„ tionem continet; si non defensionem Nicænæ Fidei pro-
„ fert; si non eorum, qui novitates appetunt, commenta
„ subruit; si non vaniloquorum contagia prodigiosa sub-
„ vertit . . . Confidere namque oportet vestram pietatem,
„ quia nihil præter fidem, quæ olim a SS. PP. annuntiata
„ est Rom. Pontifex innovavit. Atque ut nulla his, qui

„ Apostolicum Virum per invidiam lacerare nituntur, relinquatur occasio, consonantia Epistolæ ejus SS. PP. testimonia . . . . Ex multis pauca subdidimus„ Et quamvis *Act. II.* clamassent, „ Expositionem alteram nullus facit„, idque iterassent, ut liquet ex illorum verbis in objectione relatis ( *Num. XLIV.* ), tamen *Nicæni, & Constantinopolitani Symboli*, nec non *S. Cyrilli ad Nestorium & ad Joannem Antiochen. Epistolarum*, *dogmaticæque illius S. Leonis ad S. Flavianum* jusserunt lectionem fieri, universa dein Synodo conclamante: „ hæc Patrum fides: hæc Apostolorum fides: omnes ita credimus: Orthodoxi ita credimus . . . „ Petrus per Leonem ita loquutus est: Apostoli ita docuerunt: Cyrillus ita docuit &c. „. Insuper perspectis Eutychianorum fraudibus Constantinopolitani Symboli additamenta rejicientium, & clamantium *Act. IV.* „ Nemo suscipit adjectionem, nemo diminutionem: quæ in Nicaea „ constituta sunt, teneant„; ideo *Act. V.* utriusque Symboli Nicæni, & Constantinopolitani Formulas iterum legi jusserunt; tum hæc addiderunt: „ Sufficeret quidem ad plenam cognitionem, & confirmationem pietatis hoc sapiens, & salutare divinæ gratiæ Symbolum: de Patre „ enim, & Filio, & Spiritu Sancto perfectionem docet, ac „ Domini Nostri inhumanationem fideliter accipientibus „ repræsentat. Sed quoniam hi, qui veritatis reprobare prædicationem conantur, per proprias hæreses novas voces „ genuerunt; alii quidem mysterium dispensationis Domini, quæ propter nos facta est, corrumpere præsumentes, & vocem *Theotocos* ( Deiparam ) de Virgine dici denegantes: alii autem confusionem, & mixtionem introducentes, & unam naturam esse carnis, & Divinitatis „ stulte confingentes, & passibilem Unigeniti divinam naturam per confusionem prodigiose dicentes: propter hoc „ illis omnem machinationem contra veritatem volens claudere, præsens nunc M., & S., & Universalis Synodus „ prædicationem hanc ab initio immobilem docens, decrevit ante omnia, fidem integram, & intemeratam permanere 318. PP., & confirmat doctrinam, quæ de substantia Spiritus Sancti a PP. 150. postea congregatis in Regia Civitate tradita est propter illos, qui Spiritui Sancto

„ repugnabant ; quam illi omnibus notam fecerunt, non,
„ quasi aliquid deesset prioribus, adjicientes, sed suum de
„ S. Spiritu intellectum, contra illos, qui dominationem
„ ejus respuere tentaverunt, Scripturarum testimoniis de-
„ clarantes : propter illos autem, qui dispensationis my-
„ sterium corrumpere conantur, & purum hominem esse
„ genitum ex S.Virg. impudenter delirant, *Epistolas Synodicas*
„ *Bmi Cyrilli Alexandrinæ Ecclesiæ Præsulis ad Nestorium*,
„ *& ad Orientales* congruenter habentes suscepit, ad con-
„ vincendas Nestorii vesanias, & ad interpretationem eo-
„ rum, qui salutaris Symboli pio zelo nosse desiderant in-
„ tellectum : quibus etiam *& Epistolam M., & Senioris*
„ *Urbis Romæ Præsulis Bmi & SSmi Archiepiscopi Leonis*,
„ *quæ scripta est ad S.M. Archiepiscopum Flavianum*, ad pe-
„ rimendam Eutychis malam intelligentiam, utpote & Ma-
„ gni illius Petri confessioni congruentem, & communem
„ quandam columnam existentem adversus perverse sentien-
„ tes, ad confirmationem rectorum dogmatum congruenter
„ aptavit ; his namque, qui in duos Filios dispensationis
„ divinæ mysterium discerpere nituntur, repugnat ; & il-
„ los, qui passibilem Deitatem Unigeniti ausi sunt dicere,
„ a Sacro Cœtu expellit ; & his, qui in duabus Christi na-
„ turis temperamentum, aut confusionem opinantur, resi-
„ stit ; & qui cœlestem, aut alterius alicujus esse substan-
„ tiæ, quam ex nobis assumpsit, servi formam, delirantes
„ dicunt, abigit ; & qui duas quidem ante unitatem natu-
„ ras Domini fabulantur, unam vero post unitionem con-
„ fingunt, condemnat. Sequentes igitur SS. PP., unum,
„ eundemque confiteri Filium, & D. N. J. C. consonanter
„ omnes docemus, eundem perfectum in Deitate, & eun-
„ dem perfectum in humanitate, Deum verum, & homi-
„ nem verum, eundem ex anima rationali, & corpore,
„ consubstantialem Patri secundum Deitatem ; consubstan-
„ tialem nobis eundem secundum humanitatem, *per omnia*
„ *nobis similem absque peccato* ( *Hæbr.4.v.15.* ), ante saecula
„ quidem de Patre genitum secundum Deitatem, in novis-
„ simis autem diebus eundem propter nos, & propter no-
„ stram salutem ex Maria V. Dei Genitrice secundum hu-
„ manitatem ; unum, eundemque Christum, Filium, Do-

„ minum, Unigenitum, in duabus naturis inconfuse, im-
„ mutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum; nus-
„ quam sublata differentia naturarum propter unitionem,
„ magisque salva proprietate utriusque naturæ, et in unam
„ personam, atque subsistentiam concurrente: non in duas
„ Personas partitum, aut divisum, sed unum, eundemque
„ Filium, & Unigenitum Deum Verbum D. J. C., sicut
„ ante Prophetæ de eo, & ipse nos Jesus Christus erudivit,
„ & Patrum nobis Symbolum tradidit „. Pariter Monophisitis Chalcedonensem Synodum reprobantibus, quod contra Ephesinæ Synodi Statutum in Fidei Professione illa apposuerit quæ paulo ante descripsimus, *perfectus in Divinitate &c.*, S. Eulogius Alexandr., & Euphremius Antiochen. reposuerunt, in Ephesino Decreto dumtaxat prohiberi, „ ne altera fides conscribatur, cujus dogmata Synodo
„ Nicaenae adversa sint: iis vero, quæ ab illa definita sunt,
„ puris, inviolabilibusqe servatis, apponenda, quæ rerum,
„ & temporum occasio postulaverit, sicut ipsamet apposuit
„ (Symbolo Apostolico), atque hoc & rerum magistra na-
„ tura docet, & Ecclesiæ usus, non videtur rejecisse „: ut *ex Photio refert P. Michael le Quien in Damascen. Diss.* 1. *n.* 34. qui *n.* 37. hæc subdit: „ Non solum Oecumenica Synodus
„ Chalcedonensis Nicaeno, seu Constantinopolitano Sym-
„ bolo appendicem adjecit, verum etiam *in VI. Synodo*, re-
„ clamante nemine, *Petrus Nicomedien.*, *Theodorus*, *& alii*
„ *Episcopi*, *Clerici*, *& Monachi*, qui hæresi Monothelitæ
„ consensenserant, Formulam Nicaena prolixiorem, expli-
„ catioremque *Act.* 10. palam recitarunt. *In VII.* quoque
„ Synodo *Act.* 3. lecta est alia Formula *a Theodoro Hieroso-*
„ *lymitano* conscripta; itemque aliam rursum obtulerunt
„ *Basilius Ancyranus*, *& coeteri Episcopi*, qui Iconomacho-
„ rum errores amplexati erant: quantumvis Ephesinus Ca-
„ non ediceret, minime fas esse hæreticis, qui converti
„ voluerint ad Ecclesiam, alteram Fidem præter Nicænam
„ porrigere. *In hac eadem Synodo* lecta est Professio altera
„ fidei, quam *Tharasius ad Patriarchas Orientalium Sedium*
„ miserat: cumque Nicænum, seu Constantinopolitanum
„ Symbolum variis modis auctum, & interpolatum conti-
„ neat, hæc de Spiritu S. speciatim habet: *Et in Spiritum*

„ *Sanctum Dominum vivificantem, qui ex Patre per Filium*
„ *procedit*. Quia vero Græci in Concilio Ferrariensi, seu
„ Florentino dixerunt, Formulas istas fidei particulares
„ fuisse, non communes; en alias plane communes, &
„ solemnes, quæ in ipsorum Ritualibus habentur. Hæbreum,
„ seu Judæum, ante non baptizant, quam Fidei Christianæ
„ Professionem primum pronuntiaverit, quæ omnino diver-
„ sa est a Constantinopolitano Symbolo, ut videre est *in*
„ *Euchologio*. In Ordinatione Episcopi jubetur, primum
„ electus recitare Symbolum Constantinopolitanum; tum
„ deinde, ac si hoc minime sufficiens sit, Expositio alte-
„ ra, Tertiaque ab eo postulatur; quarum postrema Sym-
„ bolum illud prædictum exhibet variis declarationibus ad-
„ mixtum: quin imo hujus interpolati Symboli auctor fuis-
„ se *Photius ipse* indicatur *Codice Caesareo*, cujus *Lambecius*
„ meminit *lib.* 7. *Cod.* 77. Alias mitto Formulas, quas Græ-
„ ci cuderunt pro iis, qui ex diversis hæresibus, aut Sectis
„ ad Ecclesiam convertuntur: tametsi feratur *Canone Ephe-*
„ *sino*, Fidem alteram licitum non esse porrigere iis, qui
„ vel ex Paganismo, vel ex Judaismo, vel ex quacumque
„ hæresi ad Ecclesiam converti voluerint. Aut ergo ipsi
„ Græci violatæ hujus Sanctionis se reos agnoscant, aut
„ adversum Latinos propter adjectam Symbolo declaratiun-
„ culam unam deblaterare desinant „.

(*De Conc.Chalced.;de Vigilio PP.;de S.Agathone PP.& de Synod.Gener.VII.*) Quemadmodum vero *Ephesina Synodus Decreto illo suo* minime voluit, ne Ecclesiæ Fides in Nicæno Symbolo tradita clarius, ubi opus esset, explicaretur, ita nec *Synodus Chalcedonen.*, *nec Vigilius*, *nec S. Agatho*, *nec Synodus Generalis VII.*, hoc voluerunt. Nam, quod in eo Symbolo implicite proponebatur, explicite proponere, hoc equidem non est aliud docere, aut exponere, aut tradere S. Ecclesiæ Dei, aut Nicænam Fidem minuere, vel mutare, vel augere. Quamobrem *Synodus Chalcedonen.* (ut hic supra ostendimus), & *Vigilius* in Constituto, Constantinopolitanum Symbolum cum Nicæno conjunxerunt: Deinde *S. Agatho* quæ a Prædecessoribus suis, & Ven. quinque Conciliis definita fuerant, commemoravit; atque *in Epistola ad Patres VI. Synodi* missa, Professionem Fidei instar Symboli

inseruit, Nicæno utique, ac Constantinopolitano Symbolo, nec non Chalcedonensi definitioni consonam, verbis tamen pluribus, & additamentis auctam: Et demum *VII. Synodus* non tantum se Nicænum Symbolum, sed etiam leges PP. custodire, atque eos, qui addunt quid, vel adimunt, anathematizare affirmavit, ac nihilominus Fidei Professiones, *a Michaele Le Quien* commemoratas, approbavit. (Act.VII. & post subscription. definit. in Acclamat.). Noverant enim, ad novas hæreses coercendas, extirpandasque, Fidei dogmata minus explicite prius tradita clarius proponi oportere. Qua de re illustria *S. Epiphanii, ac S. Thomæ Aquin. aliorumque PP.* (Num. XXXIX. XLII., & hic supra, cum de Decr. Conc. Ephes. actum est) testimonia retulimus.

( *Ob quam causam Synodi Ephesina vocem DEIPARÆ, & Chalcedonensis verba CONSUBSTANTIALEM PATRI SECUNDUM DEITATEM, ET CONSUBSTANTIALEM NOBIS SECUNDUM HUMANITATEM, Symbolo non addiderint* ). Cur autem *Synodus Ephesina* vocem *Deiparæ*, & *Synodus Chalcedonensis* verba „ *Consubstantialem Patri secundum Deitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem* „ Symbolo non addiderint, in promptu est causa. Nimirum ex Symbolis Nicæno, & Constantinopolitano satis innotescebat, B. Mariam V. Deiparam esse. In illis namque expresse credendum proponebatur, *Filium ex Patre natum, ac Patri consubstantialem propter nos homines incarnatum, & hominem factum de Spiritu Sancto ex Maria V.* Ex his autem consequebatur, B. Mariam V. Deiparam esse, quandoquidem ipsa conceptum de Spiritu Sancto Deum, & hominem peperisset: Et Christum consubstantialem Patri secundum Divinitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem fuisse, propterea quod idem ille, qui ex Patre natus, & Patri consubstantialis erat, incarnatus, & homo factus esset. Quare minime necesse fuit voces illas Symbolo adjicere; sicut ad eos, qui Spiritus Sancti substantialem a Filio quoque Processionem negabant, erroris, contra communem Ecclesiæ Fidem, convincendos, particulam *Filioque* addere oportuit. Nam isti, illis Symboli verbis, *ex Patre procedentem*, vel *qui ex Patre procedit*, non modo non fatebantur substantialem ejusdem Spiritus Sancti a Filio quo-

que Processionem credendam proponi, sed penitus excludi contra communem Ecclesiæ Catholicæ sensum tuebantur, eaque de causa Latinos hæresis accusabant, ac si dogma Constantinopolitano Symbolo adversum crederent, & in Symbolo credendum proponerent. ( *De S. Leone III. PP.* ). Jam vero omnes, qui Catholicæ Ecclesiæ de substantiali Spiritus Sancti a Filio etiam Processione proposito sibi dogmati pertinaciter reluctarentur, aut ipsum non crederent, in sua communione non esse *S. Leo III. Rom. Pont. Aquisgranen. Conc. Legatis* testatus est. Nam *in Actis Rationis, quæ habita est de Symbolo Fidei in Secretario Basilicæ B. Petri Apostoli inter D. Leonem SSmum, & Coevangelicum Papam Urbis Romæ, & Missos D. Caroli Imperatoris* ( apud Baron. ad an. 809. num. 54.), sic habetur: „ Lectis a prædictis Missis per or„ dinem testimoniis ( de Processione Spiritus Sancti a Filio ), „ atque a Domno Apostolico diligentissime auditis, ait: „ „ *ita sentio, ita teneo, ita cum his Auctoribus, & Sac. Scriptu„ ræ auctoritatibus. Si quis aliter de hac re sentire, vel docere „ voluerit, defendo*, ( idest prohibeo ), *& nisi conversus fuerit, „ & secundum hunc sensum tenere voluerit, contraria sentientem „ funditus abjicio* „. Et ( num. 55. ) Missi: „ *Quia vero, „ ut dicitis, ita certissimum credendum est, credendo immuta„ biliter tenendum; tenendo vero, sicubi necesse fuerit, con„ stantissime defendendum est: numquid non id nescientes do„ cendum, scientibus autem, ut id attentius teneamus, confir„ mandum est?* „ Papa „ *Quisquis ad hoc sensu subtiliori per„ tingere potest, & id scire; audita sciens credere noluerit, sal„ vus esse non poterit. Sunt enim multa, e quibus istud unum „ est, sacra fidei altiora mysteria, subtilioraque Sacramenta, „ ad quorum indagationem pertingere multi volunt: multi vero „ aut ætatis quantitate, aut intelligentiæ qualitate præpediti, „ non valent: & ideo, ut prædiximus, qui potuerit, & no„ luerit, salvus esse non poterit* „. Et mox bonum futurum fuisse affirmat, si particula *Filioque* inseri contingeret Symbolo a Generalibus Conciliis. Etenim Missis quærentibus, „ „ *Hoc quæro; hoc, ut dicatur, rogo: quia id credere bonum „ est: bonum hodie sicut ad credendum, ita ad cantandum esset, „ si tunc ab eis insertum fuisset*. Papa respondit: *Bonum cer„ te, & valde bonum, utpote tam fidei Sacramentum magnum*,

„ *quod non licet non credere, quisquis ad hoc valet pertingere*, „ Ideo autem ipse Leo ægre tulit, in Ecclesiis, quæ Caroli M. Imperio continebantur, morem Constantinopolitani Symboli cum additione illius particulæ canendi invaluisse, quia pro suo in Constantinopolitanum I., & cætera Generalia Concilia ad suam usque ætatem celebrata, obsequio, verebatur, ne aliqua ipsis negligentiæ labes inureretur, quod quatuor illas Syllabas non addidissent, quibus tam per necessarium Fidei Sacramentum cunctis deinceps sæculis perspicuum redderetur; & ne deinceps ansa inde caperetur ( ut ibid. num. 67. legitur ) „ universa hujusmodi Fidei Mystica „ Sacramenta, quæ Symbolo non continentur, sine quibus „ quisque, qui ad hoc pertingere potest, Catholicus esse „ non potest, Symbolis inserendi, & propter compendium „ minus intelligentium. ut cuique libuerit, addendi „. Ac demum pro veteris disciplinæ tuendæ studio cupiebat, ut Symbolum iisdem, quibus initio expressum fuerat, verbis omnino proponeretur. Qua de causa duas argenteas Tabulas ad S. Petri Confessionem affigendas curavit, in quarum altera Symbolum absque ulla additione, Latine; in altera vero Græce insculptum legebatur, ut *ex eadem Ratione* ( *ibid. num.* 62.), & ex *Vignolio* liquet. Missisque Caroli, ut Symbolum cum additamento in Palatio cantandi consuetudo intermitteretur, non tamen affirmando, sed tractando suasit; ut dicto loco ( *num.* 61.) narratur. Itaque mentitur *Photius in Epistola ad Archiep. Aquilejen.*, quæ videri est *apud Baron. ad an.* 883. *num.* 9. de ipso S. Leone III. hæc scribens: „ Hic „ siquidem, . . . pietatis fervens, zelator, ut nullo pacto „ barbara lingua corrumperetur immaculata nostræ Fidei do„ ctrina, Græca lingua, ut initio dictum est, Occidenta„ libus S. Trinitatem glorificandam, & celebrandam tradi„ dit; & non solum sermone, & mandato id faciendum cu„ ravit: verum etiam quibusdam ancilibus, quasi clypeis, „ constructis, & columnis erectis illam inscripsit, & in „ conspectu omnium statuens, ad Ecclesiæ valvas collocavit, „ ut hoc pacto facile & incorrupte possent omnes pietatem „ ediscere, & nullo pacto istiusmodi occultis depravatori„ bus, & novatoribus pateret aditus depravandi nostram „ Christianorum pietatem, & Filium introducendi præter

„ Patrem secundam causam Spiritus Sancti, qui procedit a „ Patre eodem honore, & dignitate, qua genitus est Filius „. Etenim tantum abest, ut *S. Leo III.* Processionem Spiritus Sancti a Filio negaverit, quin ipsam aperte professus sit, & eos, qui eam non crederent, a sua communione, nisi resipuissent, alienos declaraverit; atque in Symbolo Orthodoxæ Fidei *ad Monachos, qui in Monte Oliveti morabantur* misso, Processionem eandem inter dogmata ob omnibus credenda proposuerit (*V. sup. Num. XVII.*); ad extremum pronuntians: „ qui secundum hanc fidem rectam non credi„ derit, hunc damnat *S. Catholica, & Apostolica Ecclesia*, „ quæ fundata est ab ipso J. C. D. N., cui est gloria in sæ„ cula „. Et quamvis ipse S. Pontifex vehementer optaverit, ut omnes Occidentales Ecclesiæ ad normam Ecclesiæ Romanæ a Constantinopolitano Symbolo in Sac. Liturgia canendo se abstinerent; nec ei particulam *Filioque* ab Ecclesia eadem Romana nondum insertam adderent, tamen Ecclesias, quæ Symbolum cum illa additione cantabant, non damnavit; nec, ut ab illa se abstinerent in posterum præscripsit; nec Monachos Montis Oliveti, qui eodem ritu utebantur, coarguit, sed in Catholica ejus dogmatis Professione confirmavit, & Carlo M. Imp. vehementer commendavit.

## CAPUT X.

### *Conclusio.*

LII. ( *Conclusio* ). Quibus animadversis, & declaratis, cognoscant Græci, se gratis, imo resistente veritate, recessisse a nobis, qui toties, ac tantum laboravimus ad eorum æternam procurandam salutem, ut recte credant, & recte credentes salvi fiant. Sincero igitur animo Spiritus Sancti gratiam humillimis ad Deum precibus postulent, qui *dat Spiritum bonum petentibus se* ( *Luc. 11. v. 13.* ), Spiritum Sapientiæ, & Intellectus, Spiritum consilii, & fortitudinis, Spiritum Scientiæ, & pietatis, ac Spiritum timoris Dei; doctrinasque suas efficaci pœnitentia, ac proposito abjiciant, ut læti amplectamur eos, sperantes fore, ut cum gratia Dei usque ad finem perseverent. Interim autem cum fiducia ad

thronum gratiæ accedimus pro ipsis interpellantes, ut misericordiam consequantur, & in auxilio opportuno gratiam inveniant. „ Nos enim (ut ajebat *Joannes Theologus de inclyto Fratrum Prædicatorum Ordine in Concilio Florentino Sessione XXIII.*), qui sequimur Apostolicam Sedem „ *unam novi-* „ *mus causam Filii, & Spiritus Sancti, Patrem*. Nam ab „ initio prædicationis Apostolorum fides nostra fulget sole „ splendidius. Sermo enim Domini ad Principem Apostolo- „ rum Petrum; PORTÆ INFERI NON PRÆVALEBUNT „ ADVERSUS EAM (*Matth. 16. v. 18.*), non præteriit, „ nec præteribit. Namque unicum fulcimentum, ac funda- „ mentum omnibus Christianorum Ecclesiis est Romana Ec- „ clesia, quippe quæ germanam habet pietatem, claudit- „ que, & obstruit omne hæreticum os loquens in excelso „ iniquitatem „.

Fac, bone Jesu, (rogamus Te propter gloriam SSmi Nominis tui), fac, ut omnes unum simus, sanctificati in veritate, juxta preces & supplicationes, quas æterno tuo Patri obtulisti dicens (*Joann. 17. v. 17. seq.*): „ Sanctifica eos „ in Veritate . . . ; pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint „ & ipsi sanctificati in Veritate. Non pro eis autem rogo „ tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum „ eorum in me; ut omnes unum sint, sicut Tu, Pater, in „ me, & Ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. . . Ego „ in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum „; & exauditus es pro tua reverentia.

FINIS.

# ERRATA CORRIGE

Quoniam temporis ad imprimendum concessi angustia, characteris parvitati conjuncta legentem, ac fugientem oculum pluries fefellerunt, ne litterarum formam clare aspiceret, seu quorumdam facillime se a visu subtrahentium errorum occursum animadverteret, ideo Lectorem humaniss. rogatum volumus, ut Typographis etsi admodum diligentibus, atque in arte versatis parcere velit, dum nonnullorum correctionem erratorum subjicimus. Hæc quoad sequentes Tomos pariter dicta sint, si aliqua etiam in ipsis incompta irrepserint.

| *Pag.* | *lin.* | | |
|---|---|---|---|
| 32 | 4 | cantineatur | *contineatur* |
| 33 | 12 | eei | rei |
| 38 | 12 | 859. | 869. |
| 44 | 19 | cum | eum |
| | 21 | dispusationis | dispensationis |
| 49 | 32 | Dydimi | *Dydimus* |
| 51 | 4 | effiulgens | effulgens |
| 52 | 2 | Pentecostiarum | Pentecostarium |
| 54 | 20 | Magno | Magnus |
| 56 | 14 | Sancto | Sanctus |
| 65 | 5 | Spiritus | Spiritu |
| 69 | 8 | Spiritu | Spiritum |
| 77 | 14 | Generali | Generalis |
| 78 | 34 | Obsinentes. | obtinentes |
| 80 | 10 | Arcadius | Arcudius |